


DE

LYSIAE ORATIONE VIGESIMA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII. M. MARTI A. MDCCCLXXVIII HORA I

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

AEMILIUS ALBRECHT

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

TH. GLEINIGER DR. PHIL.

M. NIEMEYER DR. PHIL.

E. VIEDT CAND. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXVIII.

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Etsi iam multi viri docti ad Lysiae orationis vigesimae difficultates animos attenderunt easque tollere studuerunt, spero veniam mihi fore denuo eam in disceptationem vocanti deque ea accuratius disputanti. Nitar enim eam ab eodem, quem orationem decimam in epitomen redegisse inter omnes constat, corruptam esse: quod si probavero, utrum Lysiae haberi possit necne inquiram. Sed ut eiusdem, qui undecimam confecit, appareat in nostra exstare vestigia, omnium primum qualem ille se praestiterit quaeque ratio inter illud breviarium et ‚πρωτότυπον' intercedat exponere necesse est.

Spectavit epitomator decimae maxime, ut partes vel singula verba aut contraheret vel mutilaret aut plane omitteret.

Proterviter inprimis in prooemio grassatus est. Cum enim orator perapte diceret, quamquam testes ipsi haud defuturos esse putaret, quia multi iudicum tum interfuissent, cum Theomnestus ipsum patris interfecti argueret, tamen aliud aliquod eorum criminum, quae ad *τὰ ἀπόρρητα* pertinerent, se non persecuturum fuisse seque scire velle, num iudices licentiam quaelibet faciundi illi darent, epitomator harum sententiarum nil retulit, nisi quod verbis orationis ex parte usus primam his expressit: *ὅτι μὲν τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι, πολλοὶ συνοίδασιν ὑμῶν καὶ μαρτυροῦσι δέ.* Sed ita et totius prooemii artificium pessumdedit et cum prorsus neglegeret, ubi multi iudicum reum in actorem calumnias facientem audivissent, rem ipsam tenebris obvolvit. Praeterea cum Lysias duas exordii sententias particulis *μὲν* — *δὲ* inter se opponeret, ille enuntiatum suum cum enuntiato, quod non

iam exordii, sed tractationis est, coniunxit itaque duas orationis partes miscuit (ὅτι μὲν . . . . ὅτι δὲ οὐ πεποίηκα). Simili modo videtur consuluisse in §§ 21 et 22, quas in § septimam epitomes contraxit. Altera concludit orator partem, qua idem esse aliquem ἀπεκτονέναι arguere atque ἀνδροφόνον eum vocare docuit, adhortans iudices, ut maius malum esse deliberent patrem interfecisse quam clipeum abiecisse dici: „equidem omnes clipeos abiecisse malim, quam hanc de patre famam habere.“ Ab altera orditur alia pars, qua Theomnesti condicio cum actoris condicione comparatur neque quidquam esse cur iudices illum non puniant exponitur. Sed e § 22 perpauca (τοῦτον μὲν ἑώρακα ποιοῦντα . . . . αὐτὸς δ' ἔσωσα τὴν ἀσπίδα) in usum suum convertit excerptor eaque iis, quae antecedunt, καί γε particulis adhibitis adiungit. In quibus cum editores merito offenderent, καίτοι γε scripserunt, quae quidem hic sensu non tam cassae sint quam καί γε. Quamquam si eos sequimur, etiam hic oratoris artem ille illusit duasque orationis decimae partes confudit, quasi Lysias dicere voluisset: „omnes clipeos abiecisse malim . . . ., etsi id verum non est, cum non ego id fecerim, sed ille.“ Restat tertius locus, quo Noster orationis partes miscuit. Inde a § octava orator exemplis probat, legislatorem unum nomen pro omnibus, quae eandem vim haberent, posuisse. Nec vero quae in § octava et nona affert exempla, idem valent atque reliqua (cfr. 8 ἠξίους ἄν. ᾤου ἄν. 9 οὐκ ἂν ἐδικάζου. — 10 ἀποδέξαιο ἄν. ἀφείης ἄν. οὐκ ἂν φάσκοις). Illa aut revera facta sunt Theomnesto (cfr. § 12) aut facta esse putari vult actor; significant igitur optativi εἴποι (§§ 8. 9 εἴ τίς σ' εἴποι) rem saepius factam. Contra insequentia plane ficta esse in aprico est. Sed quid epitomator? Illud discrimen eum omnino non perspexisse et priora quoque pro fictis habuisse enuntiatorum condicionalium conformatio (ἐὰν μέν τις καλῇ σε, ὑπόδικός ἐστιν, ἐὰν . . . . φῇ, ἀζήμιος ἔσται, εἴ τις εἴποι . . . ., ἀθῷος ἔσται) satis probat.

Atque etiam enuntiata arctius inter se coniungere vel in unum contrahere studuit. Pro Lysiae verbis ἀλλ' ἀφείης ἂν τὸν αὐτόν, ὅτι οὐ λωποδύτης ὀνομάζεται (§ 10) scri-

psit εἰ μὴ λωποδύτην ὠνόμαζεν (§ 5), quasi orator Theomnestum putantem fingeret, λωποδύτην esse τῶν θοιμάτιον vel τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδυμένων — probabiliter enim Marklandus pro ἔξω θέμενος coniecit ἐκδεδυμένος εἴη — ac non e mente illius has duas notiones plane distinguere vellet. Quod autem subiectum verbi ὠνόμαζεν sit, obscurum est. Ac videtur hoc deliquisse, cum immemor participii τὸν ἀπαγόμετον ab ipso modo positi verba orationis decimae (εἴ τις ἀπάγοι sqq.) tantum respiceret. Aliis locis duorum enuntiatorum, quae coordinata sunt, alterum alteri annectit verbis nonnullis omissis et particula aliqua adhibita. Pro ταύτην ἔχων τὴν ἡλικίαν (10, 4) scripsit ὥστε (§ 2) cfr. 10, 32 ὧν μεμνημένοι . . . βοηθήσατε — 11, 2 βοηθήσατ᾽ οὖν, pro Lysiae autem verbis τίς γὰρ ἂν ἐμοὶ μείζων ταύτης γένοιτο συμφορὰ περὶ τοιούτου πατρὸς οὕτως αἰσχρὰς αἰτίας ἀκηκοότι (§ 26) nihil habet nisi καὶ ταῦτα εἰς ἄνδρα (§ 9). Videamus, quid in his deliquerit. E ratione grammatica coniungenda sunt cum ὑβρίζοντί τε καὶ λέγοντι. Cum autem antea praeter oratorem nullius mentio facta sit, in quem actor se iniuste gessisset, primo aspectu putamus profecto illum verbis εἰς ἄνδρα significatum esse. Tamen rem ita se habere non posse facile nobis persuadent quae sequuntur ἑβδομήκοντα δ᾽ ἐτῶν ὢν ἐτελεύτησε; inspicimus orationem decimam; apparet, ad patrem referenda esse καὶ ταῦτα sqq. Quamquam sententiarum connexus, qui apud Lysiam est, Noster nullam habuit rationem. Nam infamiam, de qua hic agitur, ad ipsum pertinere aperte dicit orator 10, 26 ἀκηκοότι περὶ τοῦ πατρός, patri autem ipsi quoque hoc filii crimine maledici § 28 demum exponit. En epitomatoris neglegentiam! Arctius coniunxit idem (§ 6 cfr. 10, 10) sententiam οὐδ᾽ εἴ τις παῖδ᾽ ἐξῆγεν, ὡς ἀνδραποδιστήν, cuius ad verba extrema ἀπεδέχου supplendum est, cum antecedenti. Luculentum vero exemplum studii enuntiata contrahendi exstat in § decima (ὑπὲρ αὐτοῦ) τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον ἀκούσειαν pro (βοηθῆσαι τῷ πατρὶ) ὡς καὶ ἐκείνου κακῶς ἀκηκοότος· τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο (10, 28) cfr. ibid. ἄξιον ὀργισθῆναι . . . . καὶ βοηθῆσαι τῷ πατρί — ἄξιον ὀργ. ὑπὲρ αὐτοῦ. Duas sententias (10, 9), alteram, „eum

qui aliquem *ἀποβεβληκέναι* (sc. clipeum) dixerit poena dignum esse", alteram, „adversarium criminis *ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα* rationem non habere, cum *ῥῖψαι* et *ἀποβεβληκέναι* non idem sit", in § quinta uno enuntiato comprehendit *τὸν γὰρ νόμον — αὐτήν*. Interdum enuntiatorum partes contraxit duorum verborum finitorum altero in participium mutato 10, 28 *τεθνάναι μὲν . . . αἰτίαν δ' ἔχειν*: 11, 10 (*εἰ*) *τεθνηκὼς αἰτίαν ἔχοι*. 10, 5 *παρέλαβε καὶ ἐπιτροπεύσας ἀπεστέρησεν*: 11, 2 *λαβὼν ἀπεστέρησεν*.

Iam enumerabo eos locos, quibus epitomator idem fere atque orator proferre vult, sed brevioribus verbis utitur. 10, 4 *ἐκείνῳ ἀδικουμένῳ* 11, 2 *τῷ πατρί*. 10, 9 *εἴποι ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα* 11, 5 *εἴποι ῥίψασπιν*. ibid. *ἐν δὲ τῷ νόμῳ εἴρηται . . . ὑπόδικον εἶναι — τὸν νόμον ζημίαν τάττειν*. 10, 21 *δέομαι ὑμῶν τὰ δίκαια ψηφίζεσθαι* 11, 7 *βοηθήσατέ μοι*. 10, 27 *τὸ ἐκείνου σῶμα ὑποχείριον* 11, 9 *ὑποχείριος* (sc. *ὅς*). ibid. *δι' εὔνοιαν τοῦ ὑμετέρου πλήθους — διὰ τὴν ὑμετέραν εὔνοιαν*. 10, 30 *ἀκούω δ' αὐτὸν ἐπὶ τοῦτον τὸν λόγον τρέψεσθαι* 11, 11 *ἐρεῖ δέ*. Substantivo pronomen substituit 10, 23 *ὁ φεύγων* — 11, 8 *οὗτος*. 10, 27 *τοῖς πολίταις* — 11, 9 *ὑμῖν*. 10, 28 *τῷ πατρὶ* — 11, 9 *ὑπὲρ αὐτοῦ*. 10, 32 *καὶ τῷ πατρί* — 11, 12 *κἀκείνῳ*. Sed verba *τῆς τούτων κακίας* 11, 10, nisi orationem decimam inspexeris, (§ 28 *τούτου καὶ τοῦ πατρός*), non intelleges. Apparet inde studium pro singulari universi, pro certo incerti aliquid ponendi atque idem perspicuum est aliis locis. Conferas velim 10, 8 *ἠξίους ἂν αὐτὸν ὀφλεῖν σοι δίκην* cum 11, 4 *ὑπόδικός ἐστιν*; ibidem *ᾤου ἂν αὐτὸν ἀζήμιον δεῖν εἶναι — ἀζήμιος ἔσται*. 10, 9 *οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ* — 11, 5 *ἀθῷος ἔσται*. 10, 10 *εἴ τις ἀπάγοι τινὰ φάσκων θοἰμάτιον ἀποδεδύσθαι* etc. — 11, 5 *τὸν ἀπαγόμενον* (cfr. 10, 31 *ἐπειδὴ τάχιστα ἐδοκιμάσθην* — 11, 12 *δοκιμασθείς*) *ὅτι θοἰμάτιον* etc. ibid. *οὐδ' εἴ τις παῖδα ἐξαγαγὼν ληφθείη, οὐκ ἂν φάσκοις αὐτὸν ἀνδραποδιστὴν εἶναι — οὐδ' εἴ τις παῖδ' ἐξῆγεν, ὡς ἀνδραποδιστὴν* (sc. *ἀπεδέχου*). 10, 30 (*ἐὰν μὴ ἀποφαίνῃ*) *ὡς ἔστιν ἀληθῆ τὰ εἰρημένα* — 11, 11 (*ἀποδεικνύῃ*) *ἀληθῆ*. Ac forsitan illud studium inde cognoscas, quod pro *ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα* (10, 27), quos annos natus pater diem supremum obiit, *ἑβδομήκοντα*

Noster exhibet, nisi forte id merae eius neglegentiae vel pigritiae tribuis.

Transeo ad ea, quae omisit. Desunt et integrae orationis partes et enuntiata et singula verba. §§ 11 et 12, quibus Lysias quid e Theomnesti apud Areopagum accusati sententia faciendum sit fingit eumque ad absurdum deducit, desideramus apud Nostrum, sive quod exemplis antea allatis rei stultitiam iam elucere putavit sive quod talem ironiam, qualis in illis §§ inesset, epitomae frigidae haud ideoneam esse sensit nec vero eadem alio modo dicere aut voluit aut potuit. Requirimus porro integras §§ 15—20, quibus orator docere studet, etiam in aliis legibus non nomen criminis, sed rem respici. Qua de causa epitomator eas omiserit, dubitari vix potest: nimirum haec expositio non ad causam ipsam pertinet. Neque reperimus §§ 24 et 25 nec finem § 28 totamque § 29. Causa, si divinare licet, ea fuit, quod in iis de rebus nimis singularibus sermo est, quae ad litem ipsam nil valent, nam altero loco Dionysium priore quodam iudicio a Theomnesto falsi testimonii arcessitum damnatum esse orator narrat condicionemque eius miserrimam queritur, altero res a reo eiusque patre prius gestas acerba cum ironia perstringit.

Hac autem de causa epitomatorem has §§ eiecisse eo probabilius est, quia eundem ut verba *οὐ μόνον ὑφ' ὑμῶν ἠλεήθη ἀλλὰ καὶ τὸν μαρτυρήσαντα ἠτίμωσεν* (§ 22), in quibus ipsis quoque de rebus prius factis agitur, et singularia prooemii omnia neglexisse vidimus ita alia eiusmodi statim videbimus. Neque enim commemorat, diaeteten iam de actione *κακηγορίας*, quam orator in Theomnestum intendit, iudicasse (10, 6 *πρὸς ὑμᾶς ἅπερ ἐτόλμα λέγειν καὶ πρὸς τὸν διαιτητὴν* cfr. 11, 3) neque actorem una cum Dionysio testem in priore iudicio fuisse (10, 30 *ταῦτα ἐμοῦ μαρτυρήσαντος τὴν αὐτὴν μαρτυρίαν Διονυσίῳ* cfr. 11, 11). Sed desunt etiam et multa alia enuntiata et partes enuntiatorum. Nullum exstat vestigium § quintae extremae inde a verbis *ὥστε πολλῶν ἕνεκα* sqq. (cfr. 11, 2), nullum § 13 extremae neque § 14 integrae, quae cum iis, quae antecedunt, cohaerent quaeque excerptor,

cum eadem fere iam antea dicta essent, sine dubio supervacanea esse arbitratus est. Omisit idem verba, quae transitum parant a § octava ad nonam (*ἡδέως γὰρ ἂν σου* sqq.) nisi quod enuntiatum insequens cum antecedenti *καὶ* particula coniunxit (§ 5), neglexit § decimae verba *εἴπερ μαχῇ τοῖς ὀνόμασιν — πάντες τίθενται* (cfr. 11, 6). Interciderunt porro 10, 6 *περὶ τούτων μὲν οὐδὲν ἀπολογήσεται* 11, 3. 10, 31 *περὶ μὲν οὖν τούτων οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ πλείω λέγειν* 11, 11. 10, 32 *καὶ τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις καὶ τοῖς ὅρκοις οἷς ὀμωμόκατε* (sc. *βοηθήσατε*) 11, 12. 10, 8 *ὡς οὐδὲν τῶν ἀπορρήτων εἰρηκότα* 11, 4. 10, 1 (*τὸν πατέρα*) *τὸν ἐμαυτοῦ* 11, 1. 10, 5 *τῶν πατρῴων* 11, 2. 10, 13 *παρὰ τοὺς νόμους* 11, 6. 10, 21 (*πάσας*) *τὰς ἀσπίδας*, quia *τὴν ἀσπίδα* praecedit 11, 7. 10, 23 *πρὸς ὑμᾶς* (sc. *ἐγκλήματος ὄντος*) 11, 8. ibid. *καὶ ἐκ βελτιόνων . . . . ἐμοῦ*. 10, 27 *οὐδεμίαν πώποτε* (sc. *εὐθύνην ὦφλε*) 11, 9. 10, 28 *ἔτι καὶ νῦν* 11, 10. 10, 23 *κακηγορίας* 11, 8. 10, 21 *πολὺ* (*μεῖζον κακόν*) 11, 7. 10, 30 *ἤδη* 11, 11. ibid. *πω*. 10, 31 *ἐγώ* 11, 11 (10, 22—11, 7). Saepius verbum obiecto caret 11, 10 *ὀργισθῆναι* (10, 28 *τῷ εἰρηκότι*). 11, 7 *ποιοῦντα* (10, 22 *ἐκεῖνο ποιήσαντα*). 11, 11 *εἴρηκε* (10, 30 *ταῦτα*). ibid. *δέομαι* (10, 31 *ὑμῶν*). Repudiavit Noster etiam iudicum appellationes (*ὦ ἄνδρες δικασταί*) anxieque vitavit nomina propria, cum partim eiceret, *Πανταλέων* 10, 5 cfr. 11, 2. *ὦ Θεόμνηστε* 10, 8 cfr. 11, 4. *Θεομνήστου* 10, 26 cfr. 11, 9, etsi participium *κακῶς ἀκούοντα* hoc loco non habet, quo pertineat, partim alio modo tolleret, 10, 22 *Θέωνι εἰπόντι* 11, 6 *τῷ εἰπόντι*. 10, 31 *Θεομνήστου* 11, 11 *αὐτοῦ*. Huc referas, quod breviarium incipit nomine eius qui actorem *τὸν πατέρα ἔφασκεν ἀπεκτονέναι* non allato. Atqui quis in orationis initio sive protologiae sive deuterologiae, sive adversarius adest sive abest, eum non accuratius significat? Nimis universa fit enuntiati sententia pronomine *σε* 11, 5 (10, 9), pronomine *ὑμᾶς* 11, 3 (10, 7) omisso. Nec respexit excerptor *ἂν* particulam 10, 4 *οὔτε ἂν . . . . ἐδυνάμην βοηθῆσαι*, pro quibus verbis scripsit *οὔτε οἷός τε ἦν* 11, 2: quamquam ita sententia non prorsus corrumpitur, sed aliquantulum mutatur.

Perapte quaecunque epitomator supervacanea existimavit, in oratione decima addita sunt, vel ut enuntiatorum partes inter se aequarentur, vel ut oratio clarior evaderet. Tamen hos defectus nondum ita magno crimini ei aliquis vertat: reliqui nullo modo ferri possunt. 10, 10 recte se habent verba *θοιμάτιον ἀποδεδύσθαι ἢ τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδύσθαι*, nam *χιτωνίσκον*, qui pectus ipsum tegebat, Graeci *ἐξεδύοντο*, *ἱμάτιον* autem, quod supra illum portabant, *ἀπεδύοντο*. Quid Noster (§ 5)? alterum verbum tantum ad *θοιμάτιον* posuit idque, quod non recte de illo exeundo adhibetur. Bene dicit Lysias § 27 *πολλάκις μὲν ἐστρατήγησε, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους κινδύνους ἐκινδύνευσε.* Noster contra *καὶ ἄλλους* delet (§ 9), quasi pater eo, quod saepe dux fuit, pericula non subierit. Penitus oratorem in § altera pessumdedit. „Ne pecuniae quidem causa,“ inquit, „patri insidiatus sum; nam frater maior natu omnibus rebus nos privavit.“ Quis est quin inde tum, cum frater actorem e bonis paternis expelleret, patrem adhuc vixisse concludat? Sed vehementer erramus. Patrem tum iam mortuum fuisse e Lysiae verbis elucet. Quapropter inde quod frater postea insidias in ipsum paravit, demonstrare omnino non potest orator, se illius mortem non petivisse, sed nil nisi se non recte id facturum fuisse probare. Scripsit igitur Lysias *οὐκ ὀρθῶς τῶν χρημάτων ἐπεβούλευσα ἂν αὐτῷ* et comperimus Pantaleonem tutoris munere fungentem fratrum bona rapuisse, cum Noster verborum *ὀρθῶς . . . ἂν . . . ἐπιτροπεύσας* rationem nullam habere haud veritus sit. Offendimus porro in verbis § sextae *καίτοι ἐν τῷ νόμῳ οὐ γέγραπται, ἀλλ' ἐάν τις φῇ ἀποβεβληκέναι.* Dummodo *τοῦτο* ad *γέγραπται* addidisset epitomator pro iis, quae in decima exstant, *περὶ μὲν τοῦ ῥῖψαι* (§ 12)! In altero autem enuntiati membro neglexit *πεντακοσίας δραχμὰς ὀφείλειν κελεύει*, quibus accuratius quid in lege scriptum esset orator dixit. Atque in eadem § quid supplemus ad *ἐὰν μέν τίς σε εἴπῃ*? *ἀποβεβληκέναι* profecto. Sed eadem verba supplenda sunt ad *ἐὰν δ' αὐτὸς εἴπῃς*, id quod tamen fieri nullo modo potest; neque enim Theomnestus id cuiquam obiecerat, sed actorem patrem inter-

fecisse dixerat. Si κακῶς saltem e decima inseruisset, sententiam eius ferremus.

Venit disputatio nostra ad eos locos, quibus epitomator Lysiae verba aut variare aut emendare conatus est. 4 ἐξ ὅτου — 2 ἐξ οὗ. — ibid. τι, quod editores suo iure pro tradito εἰ receperunt — ὅτι. 5 ἅπαντα — 2 πάντα (eadem 10, 7—11, 4). 22 ἐμοί — 8 μοι. 21 ὃ ἴστε — 7 ὡς ἴστε. — 4 ἠπιστάμην — 2 ᾔδειν. ἐδυνάμην — οἷός τ' ἦν. 10, 8 ter verbum εἰπεῖν adhibetur — 11, 4 καλῇ — φῇ — εἴποι. 9 ἐάν τις φάσκῃ — 5 ἐάν τις εἴπῃ. 12 εἴρηται — 5 γέγραπται. εἴπῃ — φῇ. 21 ἀποβεβληκέναι — 7 ῥῖψαι. ἐρριφέναι — ἀποβεβληκέναι. 27 ἀπέθανε — 9 ἐτελεύτησε. 30 ἀποφαίνῃ — 11 ἀποδεικνύῃ. 8 τὸν φύσαντα — 4 τὸν φυτεύσαντα. 28 παίδων — 10 τέκνων. — 5 καὶ μὲν δὴ — 2 ἀλλὰ μήν. 10 ἀλλ' οὐδ' — 5 ὁμοίως οὐκ. 13 ὅταν μέν: ὅταν δὲ — 6 ἐὰν μέν: ἐὰν δέ. 23 ὅτι bis — 8 ὡς. 26 τοίνυν — 9 δή. — 13 οὐκ οὖν δεινόν — 6 πῶς οὖν οὐ δ. 23 ἐν τῇ πόλει κατεσκέδασται (quod Reiskius pro tradito κατεσκεύασται invenit) — 8 διέσπαρται κατὰ τὴν πόλιν. 27 ἔτη γεγονώς — 9 ἐτῶν ὤν. ἐν ὀλιγαρχίᾳ — ἐπ' (pro ὑπ', quod est in codice) ὀλιγαρχίας. Enuntiata condicionalia εἰ λαμβάνεις. ἀξιοῖς (10, 13) in infinitivos λαμβάνειν. ἀξιοῦν mutavit (§ 6), item ὡς ἔτυπτες 10, 8 in τύπτειν 11, 4, contra pro infinitivo αἰτίαν ἔχειν 10, 28 exstat 11, 10 εἰ αἰτίαν ἔχοι. Etiam tempora et modi variantur. 4 κατεληλύθατε — 1 κατήλθετε. 4 βοηθῆσαι — 2 βοηθεῖν. 12 ἐρριφέναι — 6 ῥῖψαι. 23 ἀκήκοα — 8 ἤκουσα. 26 ἀκούσαντα — 9 ἀκούοντα. 27 ἐστρατήγησε. ἐκινδύνευσε. ἐγένετο — 11, 9 perfecta horum verborum habemus. Sed hominem sat neglegentem etiam in hoc genere se praebet. Pro verbo λαμβάνειν (10, 13) „interpretari“ scripsit ἐκλαμβάνειν, quod rhetorem posteriorem sapit; neque enim illa vi subiecta ante Plutarchum usquam invenitur (cfr. διαλαμβάνειν Lys. 14, 4). Simplici λαβών (11, 2) pro composito παρέλαβε (10, 5) posito obscurius enuntiatum factum est, cum in illo etiam vis demendi vel rapiendi, quae ex auctoris sententia ab hoc loco aliena est, inesse possit. In § autem altera dicit excerptor οὐδ' ὅτι ὀλιγαρχία ἦν ᾔδειν perversissime. Quid

enim ad rem, quod nescivit actor, quid paucorum dominatio fuisset? Immo dicendum ei erat οὐκ ᾔδειν τί ἐστιν ὀλιγαρχία (10, 4). Neque recte participium ποιοῦντα 11, 7 adhibet pro ποιήσαντα (10, 22). Nam multum in priore illo iudicio ad causam diiudicandam valebat, utrum actor se Theomnestum clipeum abiecisse an abicientem vidisse diceret. Sed etiamsi hoc non statuimus, infert epitomator, cum ποιοῦντα scribit, in epitomen id, quod orator dictum noluit. Atque rectissime hic in § quarta: πολὺ γὰρ ἂν ἔργον ἦν: si id facere voluisset (quod non fecit), magnus eius labor fuisset; contra ille habet εἴη, quasi de lege ferenda ac non de iam lata dicendum fuerit. Nec intellexit, quae vis inesset in verbis οὐκ ἂν ἀποδέξαιο (10, 10), quae mutavit in οὐκ ἂν ἀπεδέχου (11, 5); nam fieri adhuc potuit, ut Theomnestus unus ex undecim viris fieret tumque ei iudicandum esset de hominibus abductis. In §§, quae antecedunt quasque Nostrum corrupisse iam supra commemoravimus, pro εἰ μέν τις εἴποι — εἰ δέ τις εἴποι scripsit ἐὰν μέν τις καλῇ σε . . . . ἐὰν δέ τις — φῇ, quae verba hoc quidem loco sententiam prorsus perversam exhibent.

Epitomatoris consilium verba oratoris corrigendi apparet inde, quod saepe antithesin aut ipse induxit aut clariorem, quae ei iam occurrebat, reddere voluit: quamquam plerumque res parum ei successit. In epitomes initio duas sententias, alteram ‚multi vestrum me ab illo patris interfecti argutum esse testificantur', alteram ‚sed me hoc non fecisse vobis perspicuum esse debet' (vel tale quid) per antithesin ὅτι μὲν . . . . ἔφασκεν ἀπεκτονέναι . . . ., ὅτι δὲ οὐ πεποίηκα inter se opponere vult. Sed postquam alteram pronuntiare coepit, statim quibus rebus actorem illud non fecisse efficiatur, addere in mentem ei venit et verba orationis decimae exscribens apodosin alterius membrorum contrariorum plane obliviscitur. 10, 7 cum Lysias dicat οἶμαι δεῖν ὑμᾶς οὐ περὶ τῶν ὀνομάτων διαφέρεσθαι ἀλλὰ τῆς τούτων διανοίας, Noster, ut antitheta melius appareant, scribit περὶ τῶν ὀνομάτων . . . περὶ τῆς τῶν ἔργων διανοίας, sententiae, quae ineptissima fit, ratione nulla habita. Eadem de causa pro ἐγὼ δὲ ἑωρακὼς μὲν . . . . ἐκεῖνο τοῦτον ποιήσαντα, αὐτὸς δὲ σώσας τὴν ἀσπίδα

10, 22 habet *τοῦτον μὲν ἑώρακα ποιοῦντα . . . αὐτὸς δ' ἔσωσα* 11, 8 atque pro *ὅταν μὲν δέῃ σε κακῶς ἀκούοντα . . . . ὅταν δ' ἕτερον εἴπῃς* 10, 13 *ἐὰν μέν τις σε εἴπῃ . . . . ἐὰν δ' αὐτὸς εἴπῃς* 11, 6 sententia aliquantulum variata. Neque temere videtur ibidem verba *τιμωρεῖσθαι τοὺς ἐχθροὺς* ex enuntiato condicionali removisse et verbo *ἐκλαμβάνειν* annexuisse: quae cum in fine alterius membri poneret, verbis, quae in fine alterius exstant *οὐκ ἀξιοῦν δοῦναι δίκην* accuratius opposuit. In § nona ut membrum membro melius responderet, scripsit *πολλὰς μὲν στρατηγίας ἐστρατήγηκε . . . . πολλοὺς δὲ μεθ' ὑμῶν κινδύνους* pro Lysiae (§ 27) verbis *πολλάκις μὲν ἐστρατήγησε* etc. neque alia de causa *καὶ ἄλλους* post *πολλοὺς* delevit. Apud Lysiam § 7 nil traditum est nisi *ὅσοι ἀνδροφόνοι εἰσὶ καὶ ἀπεκτόνασί τινας*, in quibus multi offenderunt, quia exspectamus potius *ὅσοι ἀπεκτόνασί τινας, καὶ ἀνδροφόνοι εἰσίν.* Quare alii post *ὅσοι* e breviario (§ 13) inseruerunt *ἀπεκτόνασί τινας καὶ ἀνδροφόνοι τῶν αὐτῶν εἰσι*, alii *ὅσοι ἀνδροφόνοι εἰσὶ καὶ ἀπεκτόνασί τινας* scripserunt. Sed ut quomodo ex his verbis excerptor sua effecerit, parum intellegimus, ita cum Cobeto ne illud quidem necessarium duco. Inest in iis, quae exstant, vel facile mente supplemus id, quod proprie desideramus. Quod si ita se habet, statuendum est iam epitomatorem aliquid haesisse in iis et scrupulum tollere voluisse. Atque consilium eius responsiones faciendi deprehendimus etiam in singulis; scripsit enim *ἀπεκτόνασί τινας — ἀνδροφόνοι τῶν αὐτῶν, ἀνδροφόνοι τινός — ἀπεκτόνασι τοῦτον*, cum Lysias *τινός* omnino non, pro *τοῦτον* autem *τινας* haberet.

Elucet vero Nostri studium corrigendi e § prima comparata cum orationis decimae § quarta. Hic enim tradita sunt verba *ἔτη εἰσὶ* (quod viri docti suo iure in *ἐστί* mutant) *τριάκοντα*, quae cum iis, quae sequuntur *φαίνομαι οὖν τρισκαιδεκέτης* sqq. pugnare patet. Itaque omnes inde a Scaligero *τρία* ad *τριάκοντα* addunt: quid epitomator exhibeat, non respiciunt. Exhibet *τριάκοντα δύο* et postea *δωδεκαέτης*. Hi numeri quomodo ex illis orti sint, parum liquet neque sumere nobis licet ex arbitrio Nostrum numeros hic mutasse et aliter com-

parata est mutatio ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα in ἑβδομήκοντα (11, 9 cfr. supra p. 4). Quid igitur statuamus? τριάκοντα δύο scripsit et Lysias et epitomator. Qui cum numerum τρισκαιδεκέτης cum illo non congruere arbitraretur, eum correcturus δωδεκαέτης in epitomen recepit. Nec tamen numeri inter se pugnant. Abhinc triginta et duobus annis actor natus est et abhinc viginti annis Athenienses in urbem redierunt. Redierunt autem Ol. 94, 2, ergo habita est oratio Ol. 99, 1. Cum pater a triginta viris interficeretur, orator puer fuit tredecim annorum; saeviebant illi Ol. 94, 1, natus igitur est Ol. 91, 1. Inde sane annus Ol. 99, 1 trigesimus tertius fit; sed quid prohibet, quominus huius ab oratore rationem non habitam esse sumamus, praesertim cum eius interesset, aetatem suam quam minimam referre? Praeterea fortasse parva tantum pars huius anni praeterlapsa erat, cum hanc litem in Theomnestum intenderet.

Reliquum est, ut quid epitomator effecerit paucis complectamur. Quod ad causae statum attinet, pauca comperimus: neglexit omnia paene, quae ante litem, in qua oratio habita est, facta sunt. Eorum quae attulit, nonnulla aut obscura aut ne vera quidem esse vidimus. Partes orationis etsi possumus apud eum easdem discernere atque decimae (§ 1; 2; 3—6; 7—10; 11; 12 cfr. Frohberger Einleit. zu or. X p. 57), tamen dispositionem aliquatenus corrupit, cum complura misceret. Multa et enuntiata et enuntiatorum partes radicitus eiecit. Brevitati studens saepius sententiam nimis universam in medium protulit; alia nisi Lysiam inspeximus, intellegi nequeunt, alia a ratione grammatica aut logica male nos habent. Multa vitia inde orta sunt, quod operam in oratore emendando collocare audebat. Totus autem epitomes tenor multo minus vividus est quam orationis: eae partes, quibus Lysias cum ludibrio vel ironia in reum invehitur, omnes fere desunt; aliarum vis infringitur, velut eo quod pro interrogatione ἆρ' ἄξιον (10, 28) nudum illud ἄξιον δέ (§ 10) positum est. Restat, ut perpauca ad stilum pertinentia dignaque quae observentur commemorem. Nonnumquam idem verbum bis vel ter parvo spatio interiecto adhibitum moleste

ferimus. In §§ prima et altera habemus τὸν πατέρα — ὁ πατὴρ — τῷ πατρὶ idque factum est et eo, quod epitomator multa, quae inter τὸν πατέρα et ὁ πατὴρ invenit, eiecit et eo, quod verba ἐκείνῳ ἀδικουμένῳ in breviora τῷ πατρὶ mutavit. Conferas συγγνώμην ἔχετε, quae Lysias in §§ 26 et 30, Noster in §§ 9 et 11 usurpavit. Verbis autem βοηθήσατέ μοι ille semel (§ 32) usus est, hic contra et eodem loco (§ 12) et iam antea (§ 7). Neque apte coniunctio οὐδὲ (§ 2) neque οὖν (§§ 6. 7) ter deinceps apud eum exstat. Nostro debemus etiam duplex ἄν (§ 8 cfr. 10, 10) quod in erotico tantum Lysiae (Plat. Phadr. 232 C) et in oratione vigesima invenitur (§§ 9. 15), et verba καὶ ταῦτα „und zwar“ (§ 9), quae num a Lysia adhibita sint unquam, dubium est (Gleiniger Hermes 1875 p. 181), Nostro denique ut illud ἐκλαμβάνειν inferioris aevi ita συνοίδασιν formam ab Atticis alienam (§ 1).

Iam ut disputationis nostrae de vigesima oratione ipsa iaciamus fundamentum, quid de argumento eius erui possit, videamus. Quamquam enim Thalheimius (Progr. St. Elisab. Breslau 1876) ad verum causae statum indagandum profecit multum aliorumque vanas opiniones refellit, tamen alia non recte exposuit, alia commemoranda reliquit. Supersedeo quae per se plana sunt enarrare. Haud parvis difficultatibus implicita sunt, quae orator de magistratibus a Polystrato patre gestis affert. Qui cum usque ad annum 411 rem publicam non capessivisset, tum summam ei operam dabat multisque muneribus functus est (§ 5). Ac primum quidem Oropi neque prodidit neque civitatis formam mutavit, cum ceteri, qui dominabantur, res proderent (§ 6). Deinde (§§ 13 sqq.) plebiscito facto, ut quinque milibus civium res publica traderetur, elector fuit et ut omnium animos conciliaret pro quinque novem milia designavit. Nec vero iurare nec designare volebat, sed cogebant eum multis impositis. Postea autem quam octo dies senatum frequentavit, Eretriam profectus (cfr. § 16) in pugnis navalibus fortiter se gessit rediitque Athenas vulneratus quadringentorum dominatu iam sublato.

Quicunque ordinem, quo Polystrati munera enumerantur, respicit, profecto arbitratur magistratum Oropi ab eo gestum esse, priusquam elector et senator factus esset, eumque ante quadringentorum imperium talem archontem vel praefectum (*φρούραρχον*) ibi fuisse suspicatur, quales ab Atheniensibus in urbes ipsis oboedientes saepius missos esse scimus (Böckh Staatshaush. I p. 534). Atque etiam probabilitatem huius coniecturae eo augeri, quod duo filii eius illis temporibus in Boeotia versati esse dicuntur (§ 4), viri docti animadverterunt. Cum autem Oropus hieme Ol. 92, 1 exeunte (Thuc. 8, 60 *Βοιωτοὶ δὲ τελευτῶντος ἤδη τοῦ χειμῶνος Ὠρωπὸν εἷλον προδοσίᾳ Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων· ξυνέπραξαν δὲ Ἐρετριέων τε ἄνδρες καὶ αὐτῶν Ὠρωπίων ἐπιβουλεύοντες ἀπόστασιν τῆς Εὐβοίας*) Boeotis prodita sit, Polystratum ante hanc hiemem praeterlapsam urbi praefuisse sumendum est. Ac fortasse verba *οὔτε προέδωκε καὶ* (?) *ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε* (§ 6) ad Oropi proditionem ipsam a Thucydide traditam pertinent: quam coniecturam iam pridem propositam Thalh. (p. 7 sq.) refutare frustra studuit. Neque enim ulla religio me iudice inicitur interpretantibus verba *προδοσίᾳ Ἀ. ἐμ.* „durch verrat zur besatzung gehoeriger Athener“ neque si genetivus *Ἀ. ἐμ.* disiungitur a *προδοσίᾳ*, video, qui suppleri possit nisi Oropiorum: sed is aperte pugnat cum enuntiato, quod sequitur *ξυνέπραξαν* etc. Tamen non confidenter affirmaverim reum etiam tum, cum urbs proderetur, ei praefectum fuisse neque oratorem a crimine illius proditionis patrem defendere. Licet enim cum Reiskio verbum *προέδωκε* ita accipere, ut idem fere sit atque *ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε*, licuit actoribus reo magistratum illum crimini dare, etiamsi eo se abdicasset iam ante urbem Boeotis traditam — potest autem tradita esse post Polystrati secessum brevissimo temporis spatio interiecto — eumque arguere iam illum magistratum gessisse ut paucis serviret populique imperium Oropi everteret. Num revera iam hieme Ol. 92, 1 ad finem vergente pauci Oropi rebus novis studuerint, id quod haud ita multo post eos in multis sociorum urbibus egisse compertum habemus (Thuc. 8, 64. Lys. 12, 42) ad rem nil valet: potuerunt profecto adversarii Poly-

stratum in suspicionem eiusmodi vocare. Quod autem de hac re nil certi invenimus, tribuendum est orationis nostrae nimiae obscuritati. Atque eodem mendo laborant verba τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα. De rei collegis in magistratu Oropio oratorem haud cogitasse arbitror; quot enim Athenienses una ibi fuisse credamus, qui ἄρχειν dici possent? Multo aptius referimus ea verba ad omnes, qui vel sub ipso quadringentorum imperio vel iam antea in urbibus sociis dominantes paucis eas deditas reddebant. Quamquam clarius haec sententia exprimenda erat. — Sed § sextam ad magistratum compluribus mensibus ante rei publicae eversionem gestum referri posse Thalh. praefracte negat et aliis argumentis nisus, quae quam parvi sint momenti, partim ea quae supra disputavimus docent, partim sua sponte apparet, et eo, quod permirum esset, si Pol. muneris, quo multo ante functus sit, nunc i. e. paucorum dominatu iam dudum abolito rationem redderet (§ 6 δίκην δίδωσι). Concedo, praesens δίδωσι non propriam quandam litem, qua oratoris pater magistratus illius suscepti reus factus sit (Francken Comment. Lys. p. 146), sed ipsam, in qua oratio nostra habita est, significare. Neque enim si δίδωσι praesens historicum esse sumimus, temporum mutationis (ὑπέμειναν διδ.) causa ulla perspicitur. Accedit, quod si reus antea damnatus esset, orator nunc non simpliciter negare ausus esset eum prodidisse novarumve rerum cupidum fuisse, sed hoc crimen aut omnino non commemorasset aut iniuste patrem tum punitum esse probare studuisset. Sin autem iudices eum liberassent, nec adversarii iterum illud opprobrio ei vertissent et orator patris absolutionis mentionem fecisset. Tamen nescio quomodo fieri potuit, ut Pol. muneris, quo hieme Ol. 92, 1 exeunte functus est, per longum temporis spatium rationem nullam redderet, praesertim cum iam tum pauci Athenis multum valerent et mox imperio potirentur. Nonne etiam alias ibi magistratus diu euthynos fugerunt? (cfr. e. g. Lys. or. 30). Ubi vero Eretria Athenas rediit (§ 14), aut illum magistratum prae graviori crimine, quod unus e quadringentis fuisset, neglexerunt aut simul utramque rem ei

obiecerunt, quacum lite nostram tam arcte coniunctam esse, ut quae in illa reo crimini data erant, eadem in hac valerent, infra videbimus. Potuit igitur orator dicere, patrem in urbem reversum nunc ut reliquorum magistratuum ita Oropii *δίκην διδόναι.* Nullo vero modo comprobari potest, quod Thalh. ponit, in § sexta agi de eodem munere Eretriensi, quod §§ 14 sqq. commemoratur. Praeterquam quod orator ita munera ab ultimo enumerare coepit idemque infra suo loco affert, haeremus in verbis *ἐν Ὠρωπῷ* (§ 6), quae neutiquam, ut ille vir doctus vult, ‚ad Oropum', sed semper ‚Oropi, in urbe ipsa' significant. Unum his rationibus obstare dicat quispiam cum Thalheimio, quod orator (§ 17) de magistratu Eretriensi dicit, Polystratum omnium potius rerum accusari quam *εἰς τὴν ἀρχήν*, quasi ille unus eius magistratus fuerit. Sed quia ne prae reliquis quidem electoris et senatoris erat cur illa *ἡ ἀρχὴ κατ' ἐξοχήν* vocaretur, haec verba corrupta esse existimo.

Sed pergamus magistratus rei percensere. Quae Atheniensium comitia verbis *ὑμῶν ψηφισαμένων πεντακισχιλίοις παραδοῦναι τὰ πράγματα* significata essent, quibus factis Pol. elector creatus esset, Thalh. recte docuit (p. 2 sqq.), nimirum ea, quibus Athenienses Coloni decreverunt, *γραφῇ παρανόμων* abolita omnes magistratus potestate privandos, stipendia tollenda, quadringentos instituendos iisque ius dandum esse quinque milia civium convocandi, utcunque iis visum esset (Thuc. 8, 67). Unus relinquitur scrupulus, quod Thucydides rerum quinque milibus traditarum nullam fecit mentionem neque de iis quidquam dixit nisi: quadringenti habeant potestatem *τοὺς πεντακισχιλίους συλλέγειν, ὁπόταν αὐτοῖς δοκῇ.* Quam difficultatem ut solvat Thalheimius (p. 4) in initio illius decreti scriptorem verba *πεντακισχιλίοις τὰ πράγματα παραδοῦναι* omisisse suspicatur, ne legentes iis decepti potestatem ullam unquam illis fuisse opinarentur. Verum enim vero timeo, ne Thucydides ita causa nimis futili commotus res gestas non accurate memoriae prodidisse videatur, utpote cum e capitibus sequentibus (68 sqq.), in quibus quadringentorum tantum, nunquam quinque milium mentio fit,

haec nihil valuisse satis appareat. Atque ut in eodem psephismate primum res iis tradendas esse constituissent, pauci deinde ipsis licere eos suo arbitrio convocare, quo facto *τῆς πολιτείας μετέχειν* tantum iis permiserunt, nonne haec mirum quantum inter se pugnassent? Iam vero exercitui, qui Sami erat (Thuc. 8, 72) nuntiari potuit, *πεντακισχίλιοί τε ὅτι εἶεν καὶ οὐ τετρακόσιοι μόνον οἱ πράσσοντες*, etiamsi in plebiscito verba *συλλέγειν* etc. modo exstarent; nam etiam his potestas quaedam iis data erat. Neque ex articulo *τοὺς* (*πεντακισχιλίους* 8, 67) consequens est, ut — id quod Th. vult — iam in superiore plebisciti parte commemorati fuerint. Habet enim hanc vim „eos, de quibus iam saepius dictum est, qui in omnium ore versantur": quod factum esse e Thucydidis verbis (65 extr.) concludimus. Non accurate igitur prima illa comitia orator significavit. Nimirum nil hoc loco egit, nisi ut quinque milia civium decreta opponeret novem milibus a Polystrato electis; ac fortasse ne voluit quidem quadringentos hic nominare, ne in res populo ingratas iudicum animos converteret neve eorum iram etiam magis excitaret.

Post contionem Coloni habitam Polystratum electorem creatum esse (§ 13. 2. cfr. Thalh. p. 7) a tribulibus, non a populo, turbidis illis temporibus, non est cur miremur. Nec multo post eum senatum intrasse, sequitur ex § altera, ubi orator patrem senatorem a tribulibus designatum esse simulare veritus esset, nisi ille ex altero vel paulo post alterum alterum magistratum gessisset. Atque etiam § 14 duo eius munera ita coniuncta finguntur, ut nullum fere temporis spatium inter utrumque susceptum intermissum esse videatur. Quamquam ne nimiam huic § fidem tribuamus, cavendum est. Difficultatibus enim impedita sunt, quae de sacramento a Polystrato dicto afferuntur. Nam cum verba *ὤμοσε τὸν ὅρκον* propter ea, quae iis subiciuntur, ad iusiurandum, quo reus obligatus sit senator creatus, referenda sint, viri docti idem verbis *οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν* respici arbitrantur. Quod si probamus, statuendum est aut reum illud ius iurandum prius dedisse quam designaret (*οὔτε ὀμόσαι οὔτε καταλέγειν*) itaque eodem tempore duo munera administrasse, id quod ne sub qua-

dringentis quidem accidisse veri est simile, aut oratorem, qui commemorare vellet, patrem ut utrumque munus susciperet coactum esse, perversissime posterius priori anteposuisse. Postulamus insuper, ut ubi de patre senatore verba facere incipit (οὗτος δὲ οὔτε ὀμόσαι sqq.) hoc clarius significet. Nec Bakius (Schol. hypomn. 3, 249) nec Franckenus (p. 150), qui καταλέγειν in εἰσελθεῖν mutari iubent, nodum expediunt (cfr. Thalh. p. 28). Ac mirum est, si reus coactus senatum frequentabat, oratorem commodum suum adeo neglegere, ut crimen patris primarium, quod unus e quadringentis fuit, defendens praeter hunc locum nusquam illam rem iactet. Quibus de causis cogitemus de sacramento electoris et usque ad verba ὀκτὼ ἡμέρας εἰσελθών omnia bene procedunt. Pol. elector designatus primum ius iurandum detrectabat: multae ei imponebantur; deinde cum iurasset, nolebat eligere: rursus poenis coactus est. Diu eum magistratum repudiasse imperfecta (ἤθελεν. ἠνάγκαζον) docent. Et optime haec cum eo congruunt, quod orator patrem senatorem, paulo postquam elector creatus esset, factum fingit: causam muneris senatorii suscepti in hoc ponit: hoc autem invitum eum gessisse ostendit. Res si ita se habet, hiatus est inter verba ὤμοσε τὸν ὅρκον et ὀκτὼ ἡμέρας, de quo quid iudicandum sit infra apparebit. Quod P. electoris munere fungens novem pro quinque milibus civium eaque ipse omnia elegisse dicitur, in eo Franckenus (p. 147) nullo iure offendit. Quamquam enim procul dubio decem καταλογεῖς — nam a tribulibus creati sunt — fuerunt, potuit tamen orator eum apud ceteros tantum valuisse fingere, ut ipse omnes elegisse videretur. Novem milia designavit, ut speciem viri populo faventis praeberet (de voce δημοτῶν cfr. Thalh. p. 27). Re autem vera postea quinque tantum in civium indicem relata sunt, quia non omnes negotiis ipsorum neglectis neque ulla mercede accepta in contionem venire neque id quod optimates postulabant (Thuc. 8, 65) τοῖς τε χρήμασι καὶ τοῖς σώμασι μάλιστα ὠφελεῖν οἷοί τε ἦσαν. Non ab initio Polystratum e quadringentorum numero fuisse inde efficitur, quod, tametsi e comitiis Coloni habitis eum electorem designatum esse putamus,

tamen aliquantum temporis magistratum adire cessavit et postea demum senatorio functus est. Quando vero senatum intraverit, pro certo affirmari nequit. Sed liceat mihi coniecturam in medium proferre. Senatum quadringentorum anno Ol. 92, 1 exeunte rerum Athenis potitum et partem aliquam anni insequentis dominatum esse constat. Nec veri dissimile est, eum certum Atheniensium morem secutum sicut reliquos magistratus initio anni Ol. 92, 2 mutatum esse. Inter eos, qui priori senatui successerunt, P. fuisse potest. Ita munus alterum susceptum haud ita magno intervallo alterum sequebatur et nondum e novem illis milibus quinque elegerat, cum senator creatus est, ut filius illa re gloriari posset, quasi pater semper novem milia retinere voluisset. Quae si ita sunt, P. non cum Thymochare demum (Thuc. 8, 95) in Euboeam profectus est, sed iam antea ibi versatus erat (95, 3); atque idem verba *ἀλλ' εἴποι ἄν τις* sqq. § 17 probant (cfr. Thalh. p. 5).

Ubi vulneratus Athenas revertit, paucorum dominatu iam abolito, *εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα* (§ 22) in ratione reddenda (§ 10 *ἐν τῷ λογιστηρίῳ* Thalh. p. 9) accusatus grandique pecunia multatus est (§§ 14. 18). Polystratum adiutum esse tum a filiis, e quibus unus hanc orationem habet, discimus e § 18: *ἔρημον γὰρ αὐτὸν λαβόντες αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον*: in quibus verbis multos haesisse miror, cum optime conveniant cum sententiarum huius loci connexu. Exponit orator, qui factum sit, ut pater tam graviter puniretur: desertum eum fuisse: a quibus, in sequentibus addit, scilicet a testibus, qui quae ille diceret confirmarent. Minime igitur eum a filiis destitutum fuisse dicere vult. Immo verbis *αὐτοῦ τε καὶ* expunctis et *ἡμῶν* cum *ἔρημον* coniuncto (Thalh. p. 13) enuntiatum cum eo, quod sequitur, non cohaeret. Et carent verba *αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες* offensione, modo ne adversariorum libellum accusatorium ipsum etiam ad filios pertinuisse arbitremur. Quomodo ab illo iudicio ea lis, in qua oratio nostra habita est, diversa esset, cum diu viri docti coniectando assequi frustra elaborassent, verissime Thalheimius (p. 14 sqq.) demonstravit. Pro-

bavit enim, cum multam ipsi impositam Pol. non solvisset (cfr. Roehl Ztschrift für Gymn. 28 p. 776), ἀπογραφῇ eum accusatum esse, a qua filius hac oratione eum defenderet. Ita inter lites, quas Pol. oravit, haud magnum temporis spatium intercessit; ad eandem fere causam utraque pertinebat potuitque fieri, ut orator eadem crimina purgaret, quae reo priore quoque iudicio obiecta esse putanda sunt (sicut § 6 δίκην δίδωσι).

Secundum oratoris verba εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα (§ 22) videtur statim post reditum Athenas in iudicium vocatus esse (i. e. quarto fere mense Ol. 92, 2); quam litem posterior, cum ἀπογραφή esset, nona prytania eiusdem anni secuta est. Id quidem elucet, oratorem etiam „ubicunque quomodo in quadringentos viros imperio privatos consultum sit, exponit, de his rebus ita dicere, ut eas aut ad proximum aut ad praesens tempus referat" (Fraenkel: De oratione pro Polystrato habita. Berlin 1869 p. 12) cfr. §§ 7. 10. 15. 16. 21. Nil proficiunt ad tempus orationis definiendum verba εἰ μὲν ξένος τις ἐλθών — ἔδοτε ἂν αὐτῷ § 19. Respiciuntur sane peregrini, qui postquam cum aliorum tum Diocli rogatu populus iis, qui Phrynichum interfecissent, honores magnos decrevit, se eum cecidisse confessi sunt (Frohberg. ad Lys. 13, 71. Roehl Hermes 1876 p. 378). Sed utrum honores nonnullis iam dati fuerint, cum haec oratio haberetur, necne, ex verbis ᾔτει — ἠξίουν — ἔδοτε ἂν frustra studeas eruere. Nec vero Thalheimium sequimur e rebus ab oratore in Sicilia gestis (§§ 24—26) colligentem orationem Ol. 92, 3 demum habitam esse. Neque enim necessario sumendum est, Syracusanum (§ 26), qui Athenienses ad Catinam morantes iure iurando adigere studuit, bello Catinensi iam confecto Ol. 92, 3 ad eos venisse iisque persuadere conatum esse, ut foedus ictum probarent (Fraenk. p. 17. Thalh. p. 11). Potest unum quemque adiisse et in Syracusanorum partes trahere voluisse, ut apud eos stipendia faceret, quam rem indignatus filius Polystrati duci detulit. Contra ridiculum profecto fuisset, si quod spes erat, bellum, quod iam multos annos gerebatur neque iam aequo Marte geri poterat, tandem exstinctum iri,

ira adeo inflammatus esset, ut statim repugnaret et ad Tydea iret, idque postea gloriaretur. Num porro cum singulis militibus egerit Syracusanus ille de ea re, de qua cum duce ei agendum erat? Neque ex epistula, quam pater filio misit (§ 27), ne in urbem rediret, priusquam Atheniensium res in Sicilia compositae essent, concludere licet, eum usque ad finem illius belli Ol. 92, 3 ibi perseverasse (Thalh. p. 12). Per res ab oratore gestas licet Polystrati lites iam in annum Ol. 92, 2 referre. Ceterum Athenienses apud Asinarum flumen victos Catinam se recepisse, praeter Thucydidem (7, 85), Pausanias auctor est (7, 16, 4. 5), qui equites, e quibus orator erat (§ 24) Callistrato magistro equitum per medios hostes in urbem effugisse tradit*).

Tres filii huic patris iudicio omnes intersunt (§ 35 *ὑμῶν δεόμεθα τρεῖς ὄντες*) et verentur ipsi quoque, ne patre damnato infamia afficiantur. § 19 *ἡμῖν δὲ οὐ δώσετε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους εἶναι.* § 35 *μὴ ἡμᾶς ἀντὶ μὲν ἐπιτίμων ἀτίμους ποιήσετε, ἀντὶ δὲ πολιτῶν ἀπόλιδας*, sive id actor rogavit, sive ipsi cum res familiaris ad multam solvendam non sufficeret timebant. Nonnunquam enim, maxime ubi quis rei publicae salutem perdidisse coargutus est (Hermann Staatsalt. p. 473), liberi patris poenae participes facti et capite deminuti sunt. Sed ne plane quidem necesse est putare eos metuisse, ne statim ipsis idem accideret, quod patri. Hic septuaginta annos iam natus erat (§ 10), ut diem supremum mox obiturus esse videretur. Qui si pecunia non soluta moreretur, filii infamiam ipso iure in se ipsos translatum iri sciebant (cfr. Demosth. 58, 2. 22, 34). Neque in eo, quod orator, quamquam pater ipse iudicio interest (§§ 34. 35) in orationis epilogo (inde a § 30) iudicum animos praecipue (praeter § 35 *ἀλλὰ ἐλεήσατε τὸν πατέρα γέροντα πῶς οὗτος ἡμῖν* sqq.) filiis conciliare studet, est cur cum Parovio (Diss. inaug. Halle 1870

---

*) Quod attinet ad medelas, quibus §§ 24. 25 egent, post ὑμῖν δ' οὐκ ἦν tale quid quale Fraenk. (p. 13 adn.) supplet, ἀνδρειότερος στρατιώτης excidisse puto; pro τοῖς στρατιώταις conicio τοὺς στρατιώτας (cfr. 23, 9. 12 ἐξαιρεῖσθαί τινα εἰς ἐλευθερίαν), verba ἱππεύειν, ἵππευον cum Muellero in ὁπλιτεύειν, ὡπλίτευον mutanda sunt.

p. 26 sq.) haereamus. Ille si bene docuit, plurimum referre, ne hi ἄτιμοι fierent, plus effecit, quam si ne pater septuagenarius, a quo non ita magna commoda sibi paratum iri populus sperare potuit, civitate privaretur, perpetuo rogasset.

Reliqua, quae de rebus Polystrati eiusque filiorum commemorantur, a Blassio (A. B. I p. 501 sqq.), Fraenkelio, Thalheimio diserte exposita sunt. Nil in oratione inest, quod cum historiae fide pugnet: congruunt omnia cum iis, quae aliunde comperta habemus, ut vana sit opinio Franckeni et Hoffmeisteri (Stargard i. Pr. Progr. 1872), qui cum alia oratore parum digna tum saepius ‚vitiatam rerum gestarum memoriam' indagasse sibi visi a rhetore serioris aevi hoc opus exaratum esse sibi persuaserunt. Accedit quod plane incredibile est, unum e rhetoribus, qui in orationibus suis nulla fere facta afferebant atque in definitiones philosophicas incumbebant, argumentum adeo compositum tractasse. Est praeterea haec oratio tam vivida animumque adeo inflammatum atque sollicitum orator prae se fert (cfr. inprimis §§. 35. 36), ut ab homine posterioris aetatis atque in umbra vivente elaborata esse nullo modo possit.

Contemplemur iam diligentius formam orationis. Quam qualem traditam habemus, squalore ac sordibus abundare apparet. Nam saepius nec sententiae inter se connexae sunt neque earum ordo integer videtur et singula verba plurima vituperationi sunt obnoxia.

§ 4 verba usque ad μισεῖν τὸ πλῆθος recte se habent: si insidiis populo paratis capite deminutus aliam rei publicae formam petiisset, e sceleribus suis id fecisset; sed tale quid ab eo non factum est, ut sui ipsius causa populum odisset. Quibus si subiciuntur ἢ τῶν παίδων (sc. ἕνεκα), arbitramur eadem re (sc. quia non ἄτιμος erat) P.um commotum ne propter liberos quidem populum odio persecutum esse et suspicamur, oratorem dicere voluisse, cum liberi non ἄτιμοι fuissent e patris ἀτιμίᾳ, ne hac quidem re eum posse incitatum fuisse. Sed ita verbis ὁ μὲν ἐν Σικελίᾳ ἦν, οἱ δὲ ἐν Βοιωτοῖς causa eorum, quae antecedunt, non continetur. Nonne filii infames esse potuerunt, etiamsi in terra peregrina erant? —

Ordo partium inde a § septima fit perturbatissimus. Quid enim exspectamus, quoniam orator Polystrati munera enumerare coepit, nisi eum perrecturum esse eandem rem persequi? Sed spes multum nos fallit. Hiat oratio inter ea, quae modo in medium prolata sunt, et sententiam, quae sequitur. Pergit orator de iis, qui peccarunt, dicere, quasi hi iis, quorum antea mentionem fecit, non diversi sint. Attamen diversissimi sunt: illi in iudicium venire omnino non ausi sunt, hos fraudibus actores liberaverunt. Deinde congeruntur multae sententiae communes, quae ne ipsae quidem inter se arcte cohaerent. Actores iis tantum instant, a quibus nihil pecuniae acceperunt. Nullum discrimen fit inter eos, qui in senatu sententias dixerunt, et eos, qui tacuerunt; tacuit autem Pol. Non iusto iure ii puniuntur, qui etsi populo benevoli erant, tamen paucis non resistebant. Quod si fecerunt, periculum erat, ne statim ipsi supplicio aut exsilio afficerentur. Non est is, qui nil dixit, pariter tractandus, atque ii, qui de populo malas sententias protulerunt: id quod iam supra satis expositum erat (§§ 7—10). — Inde a § 13 demum reliqua rei munera perlustrantur (13. 14). Animum attendas velim nunc ad § vigesimam. Si qui peccarunt, inquit orator, non ii qui absunt, auctores scelerum factorum sunt, cum vel praesentes absolveritis; neque enim si quis, cum non optima proferat, tamen vobis persuadet, vos auctores estis, sed qui vos fallit. Quarum sententiarum qui altera alterius causa esse possit, equidem non video; nec quo vinculo cum iis, quae sequuntur, coniunctae sint, in quibus orator eos, qui se populo nocuisse sibi conscii fugerunt, opponit patri, qui rationem reddere non dubitavit (21. 22), facile perspicitur.

Accedunt alia. Multa ineptissima sunt, nonnulla ne cum legibus quidem grammaticae vel logicae conveniunt. § 2 exstant verba: *κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ ὡς οὐκ εὔνους ἦν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, αἱρεθεὶς ὑπὸ τῶν φυλετῶν*, quasi *αἱρεθείς* sqq. e mente actorum ac non oratoris dicta sint. Atqui propter verba, quae illis adiunguntur *οἳ ἄριστα διαγνοῖεν ἂν περὶ σφῶν αὐτῶν ὁποῖοί τινές εἰσιν*, illa ad sententiam primariam *κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ* referenda sunt (Hoffm. p. 9). § 5 haec ha-

bemus: non puto hos (qui multis muneribus functi sunt quosque iis male functos esse nemo probare potest) tum iniustos fuisse, sed si quis paucis functus non ex urbis commodo fungebatur. Audimus. Nonne etiam ii, qui multos magistratus male gesserunt, puniendi sunt? § 6 barbara sunt *οὔτε προέδωκε καὶ ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε.* §§ 8. 9 vitiis inquinatissimae sunt. Qui intellegendi sint, quorum odium homines in se convertere noluerunt (*ἐκείνοις οὐκ ἀπεχθάνοντο*), etsi divinamus, tamen *ἐκείνοις* ad nullam vocem antecedentem referri potest. Quae vis deinde subiecta est verbo *ἐγίγνωσκον*? Male in duobus enuntiatis, quorum alterum alterum excipit, neque *αὐτῶν* eosdem significat — primum enim pertinet ad quadringentos, alterum ad *τοὺς πολλούς* — neque subiectum idem est, quamquam id minime notatur (*ἐγίγνωσκον — ἐξήλαυνον*). Offendimus porro in verbo *καθίσταντο* absolute posito; obscura est sententia enuntiati *ὥστε — πολιτεία.* § 12 rursus subiectum male mutatur: *καὶ ὅτ' ἐξέτινε* (Phrynichus) *τῷ δημοσίῳ, οὐκ εἰσήνεγκεν* (Polystratus) *αὐτῷ τὸ ἀργύριον.* § 15 opponuntur ii, qui male se gessisse videbantur, iis, qui male se gesserunt, quasi illi revera non peccaverint. Attamen orator illos commemorat, ut patri iniuriam inferri doceat; quare ipsos quoque peccasse apparet. Sed quid tum in altera enuntiati parte participium *ἠδικηκότες* sibi vult? § 16 quid significat *ἐν πολλοῖς*? § 26 quam inepta sunt verba *καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν*, „quasi de vetularum circulo agatur“ (Francken. p. 151)! § 27 quod subiectum supplendum est ad *ἀγαθὰ ἦν*? Piget orationis vitia omnia, quae pleraque viros doctos non fugerunt, congerere: quae commemoravi, satis, quae sordes in ea insint, illustrant. Tantum id dicam, paucas sectiones offensionibus plane carere: plerarumque aut sententiae parum aptae sunt aut verba male adhibentur. Sed quid inde de auctore colligamus? Utrum omnia in culpam eius convertamus necne? Num revera tam stultus atque ineptus fuerit omnemque fere iucunditatem aspernatus sit?

Tribuerunt sane multi viri docti omnia vitia auctori ipsi paucis exceptis, quae facile aliqua mutatione corrigi posse

videbantur: putaverunt eum et illam partium confusionem, quae nonnumquam occurrit, effecisse et in dictione singulisque sententiis saepissime peccasse. Quodsi verum est, composueritne Lysias orationem, dubitare non iam licet. Sed ego nego et pernego auctorem haec commisisse. Nam si talis erat, qualem se praestare videtur, sciebat profecto, se dicendi prorsus expertem atque insipientem ac ne linguae Graecae quidem plane peritum esse. Is autem hoc mehercle onus sibi imponere non solet, ut patrem et tres filios a maxima calamitate arceat. Is defensionem, si ullo modo fieri potest, oratori bono tradit. Sed ut iudicum aures ineptiis et sermone horrido atque inculto offendere audeat, nonne opus foedissimum, quod quam non probarent, iudices indicare haud omiserint, et ipse et alii edere verentur?

Verum omittamus incerta, petamus certa. Quicunque orationem legit, in prima parte (§§ 1—22) multo saepius quam in altera et in epilogo se haesisse concedit. Illic ab altera sententia ad alteram transitur illa nondum absoluta, multa obscuritate nimia laborant, dictio saepe mala est; hic nec partes aut sententias turbatas et orationem satis recte progredientem reperimus. Num unus atque idem in eadem oratione modo omni dicendi facultate carentem, modo satis eius peritum se praebuerit? Velut num eidem tribuamus, quod in priore parte particula καί saepissime et molestissime usurpata est (cfr. Hoffmeister p. 13), posterior hoc vitio paene omnino caret? num eidem, quod merita fratris et filiorum bene explicavit (§§ 23 sqq.), in magistratibus rei enumerandis saepe balbutivit? At enim prima pars ex argumentatione constat, quae oratori plures et maiores difficultates creat, quam reliquae. Qui reliqua suo loco eaque ita, ut singularum partium sententiae non hiarent, exposuit, idem argumentatione tam saepe perversa usus esse non potest. Praeterea nonnullae eius sectiones sat perspicuae sunt (2—5; 11. 12; 17. 18) earumque particulae inter se cohaerent, ut mirum esset, si orator reliquas partes non ipsas quoque distinxisset neque ea, quae eiusdem partis esse videntur, recte coniunxisset. Ac ne dictio quidem argumentationis semper sibi con-

stans est: sicut enuntiatis parvis et quasi mutilatis octavae et nonae § contrariae sunt periodi, quae saepius adhibentur (cfr. §§ 13. 16. 19. 20) et §§ 17—19 a vitiis paene liberae sunt, cum alias iis redundare viderimus. Insunt etiam in prima parte, ut Bergkii de altera Babrii fabularum sylloge iudicium proferentis verbis utar, auri micae quamvis situ obrutae. Credant igitur alii, unius atque eiusdem genus dicendi adeo secum ipsum pugnasse.

Auctorem non ab omni institutione oratoria alienum fuisse efficitur etiam e locis qui vocantur communibus argumentisque oratoriis ab eo adhibitis. Constat, magnam inter nostram et Lysiae orationem vigesimam quintam necessitudinem intercedere (cfr. Parow p. 17): multis locis eaedem vel simillimae sententiae exstant, quin verba interdum eadem habemus (20, 4—25, 11). Quae si Noster invenit, num oratorem pessimum ab optimo exscriptum esse putabimus? Sin autem uterque e communi fonte, sive oratione sive arte rhetorica sive institutionis memoria, hausit, sequitur, ut Noster arti oratoriae aliquid studuerit. Perlustremus iam reliquos locos. § 3. Usitatissimum erat oratores Atticos aetate reorum niti, ut eos nihil magni suscipere potuisse neque quidquam valere docerent. Arist. Rhet. II, 2. Lys. 24, 15 sqq. Antiph. 4 γ 2. 4 δ 2. — § 31 probos ac strenuos nos praebuimus, ut si quid nobis accideret meritam vos gratiam referretis (praeter 25, 13). 16, 17. cfr. 12, 20. Ibidem orator, si pater liberatus sit, ceteros incitatum iri dicit, ut etiam meliores se praestent, sicut saepissime oratores inde, quomodo causa quam agunt diiudicetur, ceteros aut bene aut male se gesturos esse illustrant. Lys. 1, 36. 47. 5, 5. 12, 35. 14, 12. 45. 15, 9. 22, 19 (21 προθυμοτέρους ποιήσετε) 26, 14. 27, 7. 28, 10. 15. 30, 23. Volkmann Hermag. 35. 133. — § 34 iudices patrum misereat propter filios exorantes; 14, 17 iudices liberos propter patrum merita liberasse dicuntur, 18, 12 admonentur, ne liberent. — Eodem loco distinguuntur ii, quos, quales essent, populus iam cognovit, ab iis, quorum nondum ullam notitiam habet, cfr. 26, 17. — § 35 extr. vobis prodest nos liberare 18, 20 sq. al. His perspicuum est, Nostrum senten-

tias, quas oratores in iudicio in medium proferre solebant, ut iudicum animos moverent, novisse neque artis oratoriae imperitum fuisse. Quod si statuimus, profecto veri dissimillimum est, eundem adeo balbutivisse, ut sermo eius incultus esset multasque ineptias ipse contraheret.

Sed non omnes viri docti omnia vitia auctori imputaverunt neque orationem eam, quae tradita esset, unquam habitam esse arbitrati sunt. Quamquam iis viis, quas ingressi sunt, verum non indagarunt. Ecce Parovius, tametsi haud pauca recte sensit, tamen in universum tam mirabilia disputavit, ut neminem eius sententiam quamvis diligenter excogitatam amplexum esse confidam. Totam enim orationem dilaceravit et has tres partes undique collectas constituit: primam e §§ 11. 12. 19. 23—36 constantem, quae ad aliam causam pertinerent; alteram e §§ 8. 21. 22, quae ad pristinam Lysiae orationem spectarent, compositam; tertiam omnia reliqua continentem, quae fragmenta alicuius epitomes essent (p. 25): e quibus partibus orationem conflatam esse putavit sententiis transpositis, fragmentis nullo ordine congestis, illorum fragmentorum fontibus non distinctis (p. 37). Haec commemorasse est explosisse. Miro certe modo illud mixtum compositum, ut ita dicam, quod oratione nostra contineri Par. fingit, factum esset. Has igitur nugas praetermittamus; atque etiam in singulis eum persaepe nullo iure in oratorem invectum esse, ut quae ab aliis disputata sunt, ostenderunt ita nos et perstrinximus iam et postmodo perstringemus.

In antiquum statum orationem restituere studuit Kirchnerus (Progr. Ohlau. 1873), cum §§ 13—15 usque ad verba *οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν* post § alteram, verba autem § 15 *πῶς ἂν οὖν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν* inter § quartam et § quintam inserenda esse censeret. Non recte eum iudicasse Roehlius (Zeitschrift f. Gymn. 28 p. 775 sq.), Blassius (Jahrb. für Fortsch. der klass. Altertwiss. 1873 p. 274), Thalheimius (p. 27) satis comprobaverunt: ut eorum disputationibus non habeam, quid addam.

Multo licentius M. Schmidtius (Ind. lect. aest. Ienae 1876) orationem nostram tractavit, qui pristinam eius formam resti-

tuisse sibi visus est, cum multarum partium vel magnarum vel parvarum locos mutaret. Est enim apud eum ordo §§, quae vulgo in editionibus numerantur, hic: §§ 1. 2. 11. 12. 3—7 a (ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μή). 8. 9. 7 b (οὗτος δὲ οὐδὲ γνώμην οὐδεμίαν εἶπε περὶ τοῦ ὑμετέρου πλήθους). 10. 13—15 (οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν). 18. 17 b (καὶ οἱ κατήγοροι — σφίσιν αὐτοῖς). 15 b (πῶς ἂν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν). 16 a (usque ad καὶ κακῶς ἐποίουν). 20 b (οὐδὲ γὰρ εἴ τις τῶν ἐνθάδε etc.). 20 a. 16 b (οὗτος δ' ἐν πολλοῖς etc.). 17 a (usque ad κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἁρπαγήν). 19. 21 etc. Hunc partium ordinem si quis in eum, qui in codice exstat, aliquando mutatum esse sibi persuasit, permira accidisse iubet nos credere: nimirum primum ut codicis alicuius paginae complures sic in partes maiores minoresve discinderentur, ut singulae integra enuntiata, nulla enuntiati particulam tantum contineret, deinde ut omnium partium discissarum ne minima quidem interiret. Insuper ut altera pars alteri, cui subiungeretur, accommodata esset, nonnumquam verborum demum mutationibus S. effecit (sicut εἰς τὴν ἀρχὴν mutavit in εἰς τὴν ἁρπαγήν § 17): qua re probabilitatem traiectionis minui nemo negabit. Longum et a consilio meo alienum est, quaecunque de Schmidtii mutationibus afferri possunt, afferre, quia mihi nil propositum est, nisi ut eius traiectionibus orationis difficultates minime sublatas esse doceam. Quare percurram tantum singulas §§ eo ordine, quem ille fecit, et inquiram, quo iure eum fecerit. Sed haec praemoneo. Gravissimam offensionem, quod primus magistratus in § sexta, reliqui sex §§ demum intermissis commemorantur, S. non sustulit. Deinde Nostri generis dicendi, in quo saepenumero, in prima orationis parte inprimis, haeremus, nullam paene habet rationem. Denique si quid mutavit, mutationis causa saepius obscura atque abscondita est. Quem vero causae statum vir doctus animo sibi informaverit, cum non exposuerit, de eo non disputabimus.

§ 3 cum altera optime cohaeret, nam ut crimen illud ὡς οὐκ εὔνους ἦν τῷ πλήθει (§ 3) refelleret orator, non fuisse docet, cur reus novis rebus studeret. Tamen S. §§ 11. 12 alteri subiciendas censet. Quis quaeso ubi argumentationis

exordium facit, singulare aliquid, quod non ad litem ipsam pertinet, reo obici fingit idque refutare studet? Bonus quidem orator oratione iam progressa res huiusmodi affert. Praeterea eiusdem verbi repetitio, quae iam in § undecima molesta est, etiam molestior fit; nam quater nunc *κατηγορεῖν* adhibetur: *κατηγοροῦσι* — *κατηγορίαις* — *κατηγόρησαν* — *κατηγόρουν*. Idem lucramur, si § 7 b post § nonam ponimus: *εἶπε περὶ τοῦ ὑμετέρου πλήθους* — *εἰποῦσι περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον*. In § decima videtur S. enuntiatum *καὶ οἱ μὲν τὸν βίον* etc. enuntiato *δεινὸν δέ μοι δοκεῖ* etc. subiunxisse, quia in utroque ii, qui in populum peccarunt, commemorantur (*τοῖς εἰποῦσι* etc. *οἱ . . πονηροί*). Tamen non tam arcte inter se connexa sunt haec enuntiata, ut verba *καὶ ἐν μὲν ὀκτὼ* sqq. e loco suo movere necesse sit. Nec bene § decimam sequuntur §§ 13 sqq.; nam verba *πῶς δ' ἂν δημοτικώτερος* etc. probant, in iis, quae antecedebant, singulare aliquid e rebus a Polystrato gestis ab oratore allatum esse, unde eum probum vel popularem fuisse perspicuum esset. § decimam quintam verbis *πῶς ἂν οὖν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν* omissis § duodevigesima excipi potuisse — id quod S. vult — infitias non eo. Hac enim demonstratur non mirum esse, quod reus priore iudicio tanta pecunia multatus est, cuius rei orator modo (§ 14) mentionem fecit. Sed nego necessariam esse illam mutationem; nam coniungi possunt verba *πῶς ἂν οὖν* etc. cum iis, quae proxime antecedunt. Altera autem § 17 parte post § 18 posita *οἱ κατήγοροι* expressis verbis significantur, quasi idem subiectum nondum enuntiati antecedentis fuerit (*λαβόντες* — *κατηγοροῦντες εἷλον*). Atque obscurum illud *τότε* § 17 ne nunc quidem lucem accipit; nam ad priorem Polystrati litem (§ 17 *τοσαῦτα ὦφλε χρήματα* sqq.), ad quam forsitan aliquis primo obtutu referat, id referri non posse facile nobis persuademus. Sequuntur verba *πῶς ἂν οὐκ* etc., quae aptius post § 17 quam in § 15 extrema legi non concedo, deinde § 16 a et 20 b. Perspicuum est, Schmidtium hanc illi subiunxisse, eodem verbo, quod in utraque est (*ἐξηπάτων* — *ἐξαπατῶν*), ductum. Sed quam vim verba *οὐδὲ γὰρ εἴ τις* — *ἐξαπατῶν ὑμᾶς* hoc loco habeant, me non assequi libenter fateor.

§ 20 prima pars videtur sane aliquo modo coniuncta esse cum § 16 altera. Commemorantur enim illic *οἱ ἀπόντες*, quibus si qui in urbem malevoli fuerint, crimini id dare non liceat, hic autem Polystratus, qui Eretriam profectus afuit. Verum enim vero caveamus, ne specie fallamur. Etenim si inde quod reus afuit orator concludere vult, non in eum culpam posse transferre si qui peccaverunt, profecto per totum tempus, per quod hi peccaverunt, eum afuisse necesse est: P. contra tum ipsum, cum quadringentorum imperium superbum esset, Athenis versabatur. An contendere nobis licet ullo iure verbis *εἰ δέ τινες — εἶπον* tantummodo tempus, quo P. non iam in urbe erat, respici? Quod autem verbis *τὴν ἀρχὴν* demum in *τὴν ἁρπαγὴν* § 17 mutatis § 19 sequi potest § 17 partem priorem, iam notavimus. Postremo cum § 21 § 19 sequitur, *ἐκεῖνοι προκαταγνόντες* e ratione grammatica iidem sunt atque *οἱ οὐχ οἷοί τε ὄντες ἔξαρνοι εἶναι* etc.; nec vero iidem esse possunt, quia hi in iudicio exorati sunt, illi iudicium nullum subierunt. Quid igitur Schmidtii mutationibus exsistit nobis emolumenti? Incidit in Scyllam vir doctus, qui Charybdin vitare voluit.

Quoniam neque singulorum verborum emendationes solas sufficere neque partium transpositionibus orationem in meliorem condicionem redactam esse vidimus, quid tandem reliquum est nisi ut summarium eam esse suspicemur*)? Et oritur huic coniecturae aliqua probabilitatis species inde, quod in Lysiae orationibus epitomatorem vagatum esse pro certo scimus. Constat inter omnes undecimam e decima contractam esse; octavae idem accidisse ut iam Dobreus suspicatus est ita Gleiniger (Hermes 1875 p. 150 sqq.) demonstravit, nonam eodem modo corruptam esse persuasum habeo equidem. Eundem epitomatorem si vigesimam tractasse sumpserimus, facile iam difficultates orationis unde originem traxerint declarabimus. Patefaciam autem eodem ordine, quo quae excerptor decimae mutavit ostendi, ea quae in vigesima mihi videtur mutasse.

---

*) Roehlium Ztschr. f. G. l. l. idem sentire vidi, postquam rem ita se habere mihi iam persuasi.

In § quinta orator in eos se convertit, qui Polystratum quod multis muneribus functus est accusant: non hos in ius vocandos esse, sed eos qui male magistratus gesserint. His mea quidem sententia efficitur, eum voluisse demonstrare singulos magistratus a reo bene gestos esse. Atque incipit revera argumentari: patrem Oropi nec prodidisse nec novas res molitum esse, cum reliqui proderent; hos iudicium subterfugisse, cum ille Athenas veniret. Quod harum rerum complures tenebris obvolutae sunt, hic omittamus. Continetur iis, quae de primo munere dicuntur, argumentatio qualiscunque. Ubi autem attigit alterum, exponit primum patrem electorem novem milia pro quinque elegisse, deinde eum coactum esse, ut munus susciperet. Utrumque argumentum ad rem multum valere nemo negabit. Sed quid nunc? Argumentatione neglecta narrantur simpliciter res a Polystrato, usque dum damnatus est, gestae. Cur tandem rem non pariter atque incepit usque ad finem tractavit orator? Causa nulla perspicitur. An vero eundem, qui duos magistratus distinxit et ubi de iis disputavit argumentis id quod probare voluit probavit, eundem inquam non potuisse adeo constantem esse putabimus, ut reliquos singillatim afferret eosque bene patrem gessisse doceret? Itaque contendo, ea quae in § decima quarta exponuntur ab oratore aliter profecta esse. Atque meminerimus, quae supra (p. 17 sq.) de iure iurando, quo P. adactus esse hic dicitur statuimus. Plane aliam viam ingressi inter verba ὤμοσε τὸν ὅρκον et ὀκτὼ ἡμέρας εἰσελθὼν orationem hiare vidimus. Quae cum ita sint, colligendum est oratorem singulos magistratus distinxisse singulorumque bene gestorum iusto ordine argumenta attulisse, sed epitomatorem studio, quae distincta vidit, miscendi ductum partes confudisse et postquam iusiurandum, quod electores dabant, commemoravit, compluribus omissis neglegenter statim ad munus senatorium transiisse. En eandem partium confusionem, quam epitomator decimae commisit (p. 1 sq.). Quid? quod nostrae orationis sicut undecimae ubi prooemium finiatur, tractationis initium fiat, non ita apertum est. Arbitreris forsitan, quia verbis κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ sqq. crimen aliquod refutatur, ea

iam tractationis esse, arbitreris deinde ea cum iis quae antecedunt arcte coniungenda esse. Ordiatur igitur argumentatio a verbis *οὗτος δὲ τίνος ἂν ἕνεκα* etc. Adeo transitum ab altera parte ad alteram orator non significaverit? Immo excerptor nonnulla eiecit nec satis illum significavit.

Contraxit idem sicut in oratione decima duo enuntiata in unum. § 2 scripsit *αἱρεθεὶς* pro *καίτοι ᾑρέθη* (Hoffmeister p. 8 sqq.) vel *ᾑρέθη μέντοι* (Francken. p. 144), ut alteram sententiam alteri annecteret (cfr. p. 3 *ὥστε οὐδ' ὅ τι ὀλιγαρχίᾳ ἦν ᾔδειν* 11, 2 pro *ταύτην δ' ἔχων τὴν ἡλικίαν* etc.). Quod *αἱρεθείς* cum errore pro *αἱρεθέντος* scriptum est, epitomatori inepto imputare nobis licet, oratori non item. § 4 male se habere illud *ἢ τῶν παίδων ἕνεκα* iam commemoravimus (p. 21). E verbis *ὁ μὲν γὰρ — Βοιωτοῖς* elucet oratorem aute ea habuisse enuntiatum, quo exponeret, Polystratum non metuisse, ne populus in filios violentius consuleret. Ita oratio bene progrediebatur, P. non inimicus erat populo propter scelera ab ipso iam commissa; nam nec ipse capite deminutus erat, ut populus odio ei esset; nec periculum erat, ne cives filios persequerentur, cum unus in Sicilia, duo in Boeotia essent. Sed amputavit excerptor enuntiatum illud amputatumqae sententiae antecedenti annexuit idque tam neglegenter, ut ne primum quidem *ἢ* ante *αὐτοῦ ἕνεκα* poneret. — § 16 recte viderunt viri docti haec requiri: hic autem cum aliis rebus se a populo stetisse probat tum eo, quod postquam octo dies senatum frequentavit, Eretriam se contulit. Quae proposuerunt, ut verba tradita emendarent (Kayser *ὑμῖν εὐνοῶν ὃς καὶ εἴ πέρ τι* vel *ὑμῖν εὔνους ὢν* etc. Rauchenstein *ὑμῖν οἷος ἦν, ὃς εἴ πέρ τι.* Mueller *ὑμῖν εὐνοῶν καὶ ὅτι*), a facilitate mutandi parum se commendant. Obscurior nimisque universa est sententia, si cum Thalheimio (p. 30) scribimus *δηλοῖ ὑμῖν ὅστις*: clarius patere eum benevolum esse dicendum erat. Quare Nostrum reprehendamus, quod oratoris verba circumciderit. Invenisse ipsum haec fere apud eum iudico: *δηλοῖ ὑμῖν εὔνους ὢν καὶ μάλιστα ὅτι ἐν ὀκτὼ ἡμέραις εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ᾤχετο ἐκπλέων. οὐ γὰρ ἂν εἴ πέρ τι νεωτερίζειν ἐβούλετο εἰς τὸ ὑμέτερον πλῆθος, εὐθὺς ἀπῄει* (cfr. 10, 28:

11, 10 p. 4). § 29 corrupta sunt verba *αὐτοὶ οἱ — οἵτινες* neque quisquam ea emendavit (Thalh. p. 34). Erraverunt viri docti, quod *οἵτινες ἐνθάδε ὄντες* sqq. a *συστρατευόμενοι* seiunxerunt (velut Scheibe *αὐτοί τε οἱ συστ. ἴσασι καὶ οἵτινες*). Cur enim de iis, qui in Hellesponto fuerunt, orator eos tantum, qui nunc in urbe essent (*ἐνθάδε*), Polystrati filium maximum novisse dixerit? Profecto noverunt eum etiam ii, qui adhuc illic erant. Praeterea commilitones ab iis *οἵτινες — ἦτε* . . . . distinguuntur, quasi illi non ipsi quoque in Hellesponto fuerint. Postulamus *οἱ ἄλλοι* saltem ante *οἵτινες*. Nec ullam vim habet pronomen *αὐτοί* neque verba *ἐνθάδε ὄντες* nisi ipsos, qui una cum rei filio pugnis interfuerunt, iudicio interfuisse et ipsos testimonia dixisse putamus: ut persuasum habeam oratoris verba haec fere fuisse: „ipsi commilitones qualis fuerit testificabuntur" (cfr. § 23 *αὐτοὺς μάρτυρας* etc. 22, 9 *αὐτὸν Ἄνυτον μάρτυρα παρέξομαι*). Attamen verbis *ὥστε νομίζειν* etc. videtur significari, quid commilitones propterea, quod illum noverant, de eo iudicaverint. Quare duo enuntiata etiam hic mixta esse existimo: alterum *αὐτοὶ . . . . μαρτυρήσουσιν ὡς ἀνδρεῖος ἦν* (vel tale quid), *οἵτινες — Ἑλλησπόντῳ*, alterum *ἴσασιν γὰρ αὐτὸν, ὥστε — ψυχήν*. § 6 quod coniunctioni *οὔτε* alterum *οὔτε* non respondet quodque *καὶ* exstat pro *οὐδ'*, scriptorem mere barbarum dicendique rudissimum prodit. Sed tanta vitia oratori dis invitis tribueremus. Nec Rauchensteinio assentiemur, qui post verba *καταπροδόντων τὰ πράγματα* inseri cupit *οὔτε ἀπεδίδρασκε τὴν δίκην*. Quae quem ad modum exciderint nec apparet et iis insertis deinceps bis idem dicitur (*οὔτε ἀπ. ὁ δὲ — δίκην δίδωσι*). Suspicor igitur, excerptorem hic pariter lapsum esse atque in initio orationis undecimae. Cum enim orator scripsisset *οὔτε προὔδωκε οὔτε ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε*, hanc sententiam ille cum insequenti „hic iudicium subiit, cum reliqui fugerent", per *οὔτε — οὔτε* coniungere voluit hoc fere modo: *οὔτε προέδωκε καὶ ἑτέραν . . . . τὰ πράγματα, οὔτε ἀπεδίδρασκε τὴν δίκην ἐκείνων οὐχ ὑπομεινάντων*. Sed oratoris verba exscribens homo ille somnians constructionem, quam instituit, plane neglexit (cfr. p. 9 sq.).

Transeo ad eos locos, quibus epitomator etsi eandem atque orator sententiam pronuntiare voluit, tamen breviora vel pauciora verba pro amplioribus usurpavit (cfr. p. 4. 5). § 1 extr. viri docti partim *οὗτος* in *οὑτοσὶ* (§ 35) mutari iubent partim si Lysias orationis auctor esset, se mutaturos esse dicunt (Thalh. p. 21). Ego vero alterum utrum ab oratore hic positum esse nego. Filio, qui patrem defendit, in orationis exordio dicendum erat: de quibus unus est Polystratus pater meus. Ac fortasse excerptor etiam aliis locis pronomen pro patris significatione adhibuit, velut §§ 3. 6. 7 (*οὗτος δέ*), ut non sit, cur cum Parovio (p. 13) in eo haereamus, quod in aliis partibus reus *πατήρ* vocatur, in aliis pronomine significatur. § 8 *ἐκείνοις* (*δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο*), cui pronomini nil ad quod referri possit antecedit, scripsit pro pluribus verbis, quae clarius expresserunt, quibus populo amici viri adversari non potuissent (*τοῖς δὲ πολλοῖς τῶν τετρακοσίων*?). § 9 alterum *αὐτῶν* eum prodit, quia quamquam nonnisi ad verba *τῶν λεγόντων ἐναντία* pertinere potest (Thalh. p. 25), tamen pessime se habet (p. 27). Eundem puto § 3 *τῶν τοιούτων* in *τούτων*, § 5 *τοὺς τοιούτους* in *τούτους* corrupisse. Obscure adhibuit pronomen *οὗτοι* (*ἀδικοῦσι*) etiam § 16, ut eos significaret, qui reliquos quadringentorum secuti omnia fieri paterentur. In eadem § *τότε* deprehendimus pro temporum significatione quadringentorum, nec vero ex antecedentibus haec intellegi possunt. Accuratius etiam, a quo castello exsules rapinas fecissent, orator dixit quam verbis *ἀπὸ τοῦ τείχους* (§ 28), nisi forte Decelea illis temporibus in omnium ore erat, ut simpliciter *τὸ τεῖχος* nominare ei liceret. Verba autem *τὸ δέος τὸ ὑμέτερον* (§ 21 pro: *τὸ δέος τὸ τοῦ ὑμετέρου πλήθους*) admonent nos verborum *τὴν ὑμετέραν εὔνοιαν* 11, 9 (pro *εὔνοιαν τοῦ ὑμετέρου πλήθους* 10, 27). Neque quod in verbis *τῶν πεπονθότων* § 8 insit vitium latet. Quem genetivum, quia Athenienses non solum metu hominum a quadringentis propter animos liberos iam punitorum, sed etiam procul dubio suo ipsorum timore ne illis obsisterent deterriti essent, cum utroque verbo et *δέος* et *φόβος* coniungi posse Thalheimius (p. 25) suo iure negavit. Sed ne cum altero quidem

(*φόβος*) coniungi potest. Nam ut oratori condonemus, quod eum ad alterum tantum referendum esse omnino non significavit, qui timor iis, qui poenas luerunt vel, ut orator explicat, partim e patria expulsi partim necati erant, etiamtum iniectus reliquos deterruerit? Atque quid etiamtum illi verebantur? Nonne a quadringentis liberati erant? Quibus de causis illa verba contracta esse ex enuntiato relativo puto, quo is timor explicatus erat, quem *οἱ πεπονθότες* eo, quod mali aliquid ipsis accidit, in reliquorum animis efficiebant. — § 27 ut a vitio, quod inest in enuntiato *πότερα* — *ἢ οὐ* purgemus oratorem, excerptorem *ἐνῆν* (Francken. p. 151) in *ἦν* mutasse arbitremnr. § 13 autem *γράφοι* exhibet pro *ἐγγράφοι* (cfr. *παρέλαβε* 10, 5: *λαβών* 11, 2).

Iam eorum, quae commemoravimus, nonnulla epitomatoris studium pro certo incerti aliquid substituendi aperuerunt. Praesto sunt etiam luculentiora eius documenta. § 8 verbis *πάντα ἐγίγνωσκον* expressit hanc sententiam: quaecunque susceperunt, ea bene se habere multitudo acclamabat. § 9 scripsit *καθίσταντο* pro his: eos magistratus eligebant vel iis quaecunque volebant concedebant. § 6 sententia verborum *τῶν ἄλλων ἁπάντων* nimis universa est, quia Noster verba adhibet, e quibus, quicunque quadringentorum temporibus cuilibet urbi praefuissent, eos omnes proditores fuisse aliquis concludat (cfr. p. 14). § 26 verba *καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν* inepta sunt. Exspectamus insuper, postquam tam multa iam de Syracusano illo allata sunt, oratorem quid in contione disceptatum sit et quid ipse effecerit, non praetermissurum esse. Sine dubio igitur epitomator, ne labor narrandi nimius ipsi esset, pro pluribus posuit illa.

Postremo loco quid in § 20, cuius sententiae quam nec inter se nec cum § insequenti copulatae essent, perstrinximus, Noster deliquerit, conemur enucleare. Enuntiatum *εἰ δέ τινες* — *αἴτιοί εἰσιν* nemo aliter accipiat atque sic: si qui malevolos se in vos praestant, non ii qui absunt (sc. tum cum illi peccant), peccatorum auctores sunt. Quae sententia neque quid ad Polystrati causam valeat liquet (cfr. p. 28) et pugnat cum § 21, in qua *οἱ ἀπόντες* (*ἐκεῖνοι προκαταγνόντες σφῶν αὐ-*

τῶν sqq.) scelerum in se conceptorum aperte arguuntur. Ita cogimur, ut iam verbis *οἱ ἀπόντες* eos significari existimemus, qui sceleribus commissis alio se contulerunt, illa autem obscura profecta esse non ab oratore, sed excerptore, ut clarior antithesis fieret (*οἱ ἀπόντες — τοὺς παρόντας*), cui et in oratione undecima vidimus (p. 9 sqq.) et in nostra videbimus eum studuisse. Deinde abeant verba *οὐ τούτων αἴτιοί εἰσι;* nam et auctores malorum illi, quamquam aberant, manserunt et pro auctoribus eos habuerunt profecto Athenienses. Mutilavit igitur Noster oratoris verba, qui Athenienses eos non persecutos esse dixit (cfr. 11, 4 *ὑπόδικός ἐστιν; ἀζήμιος ἔσται* p. 4). Neque quae verbis *οὐδὲ γὰρ εἴ τις* etc. eorum, quae antea commemorata sunt, afferatur causa, in aperto est. Supplenda est haec sententia: attamen quis malorum auctor habendus est, cum neque hos neque illos puniatis? quam sententiam apte sequitur haec: nam ne vos quidem auctores estis. Iam continua fit oratio inde a § 20 usque ad § 22. Demonstratur his §§, quam iniqua Polystrati damnatio fuerit: cum Athenienses in ceteros sontes sive absentes sive praesentes non animadvertissent, patrem severissime damnaverunt (20. 22 init.); cum alii se peccasse fuga comprobarent, pater recti conscius in urbem rediit; tamen punitus est (21. 22 extr.).

Proximum est, ut ea investigemus, quae omiserit excerptor (cfr. p. 5 sqq.). Existimant viri docti, qui orationem talem, qualis exstat, habitam esse putant, eam *δευτερολογίαν* indeque factum esse arbitrantur, ut nonnulla, quae ad argumentum spectent, nobis obscura sint. Sed si, ut supra statuimus, orator de Polystrato senatore facto deque eius magistratu Eretriensi uberius disputavit, potest ita disputasse, ut ne legentibus quidem quidquam dubii aut obscuri relinqueret. Potest etiam de munere, quo reus Oropi functus est, multo plura exposuisse quam nos comperimus. Neque eum qui orationem scripsit, licet reprehendere, quod quo iure Polystratus a tribulibus senator factus dicatur latet. Si quadringentos Ol. 92, 2 denuo constitutos esse et Polystratum inter hos fuisse supra (p. 17) recte coniecimus, hi fortasse a tribulibus electi sunt idque omnes Athenienses sciebant. Quod nisi sumimus,

aut orator aut pater, qui protologiam habuit, aliquid lucis attulit. Quis enim cui Atheniensium se persuasurum esse speraverit, patrem tribulibus auctoribus curiam frequentasse, si quo pacto id factum esset, nec ipse explicuit nec qui ante ipsum dixit, attigit? Nonne mendacii statim insimulari potuit ab iis, qui senatum alio modo (Thuc. 8, 67) constitutum esse sciebant? Nonne sibimet ipse plus nocuit quam profuit? Fortasse igitur orationis argumentum ab epitomatore demum solo nobis obscuratum est. Quamquam haud praefracte negaverim, patrem fusius de magistratibus suis narrasse, filium pauca tantum attulisse eaque quae ille disputaverat respexisse.

§§ 8 et 9 corruptissimas esse inter omnes convenit. Offendimus cum in aliis rebus tum in ea, quod orator, postquam verbis *καὶ ὁμοίας κατηγορίας* — *πλήθους* § 7 reum nullam in curia sententiam protulisse satis exposuit, nonnullis, quae de rebus plane alienis videntur agere, interiectis, eandem sententiam repetit verbis *δεινὸν δέ μοι δοκεῖ* etc. § 10. Sed videtur tantummodo sententiarum ordo confusus esse. Quid? si repetitionem eiusdem sententiae enuntiatorum quae antecedunt conclusionem esse orator voluit. Connexus enim harum §§ est hic: Accusant et eos, qui populo in senatu maledicebant, et eos qui non (cfr. infra p. 37); sed hic ne ullam quidem sententiam dixit. Nec vero his, quod reliquis non resistebant mala constituentibus, id opprobrio licet dare, si vobis benevoli erant. Neque enim quidquam populo profuissent, cum quadringenti adversarios omnes e medio tollerent, asseclarum suorum auctoritatem summam redderent. Quare poenas propterea, quod benevoli vobis erant, nolite ab eis petere. Maneat igitur iniustum esse aeque consulere in eos, qui nil boni dixerunt, atque in eos, qui tacuerunt. Ita inter se bene cohaerent sententiae. Sed quam multa Noster pessumdedit! Veluti si recte verba *δεινόν μοι* etc. conclusionem continere divinavimus, *δέ* particula oratori tribui non potest (cfr. p. 8: 10, 5 *καὶ μὲν δή* — 11, 2 *ἀλλὰ μήν* sqq.). In aliis verbis Nostri vestigia iam deprehendimus, in aliis deprehendemus. Graviora nunc increpo. Totam orationem di-

laceravit ac truncavit nusquam tam impudenter quam hic: nullo alio loco dictio adeo abrupta est. Copiosius autem oratorem hic quomodo optimates se gessissent exposuisse ex eiusdem sententiae repetitione inaudita (*οἱ μὲν ἔφευγον, οἱ δὲ ἀπέθνησκον* — *τοὺς μὲν γὰρ ἐξήλαυνον αὐτῶν, τοὺς δὲ ἀπεκτίννυσαν*) colligo. Desideramus etiam, qua condicione facta rei publicae forma, quae quadringentorum temporibus erat, mutata sit (*ὥστε οὐκ ἂν* etc.).

§ 14 in verbis *οὗτος δέ* sqq. haeremus, in capite totius enuntiati positis, quasi magna in iis vis inesset oppositaque essent nonnullis, quae antecedunt. Praeterea exspectamus, transitum ab altero argumento ad alterum melius significari. Contra bene processit oratio, si haec sententia apud oratorem ante ea exstabat: ac forsitan quamquam populo faventem se praestitit, tamen quod munus electoris omnino suscepit, crimini ei vertatis. § 26 verba *ὅρκιον ἔχοντος* et *ὁρκοῦν* ne iudices quidem satis intellegere potuerunt. Epitomator igitur, quid Syracusanus ille iure iurando vellet, omisisse putandus est. Idem forsitan *καὶ ταῦτα* post *ἀλλὰ γὰρ ψευδῆ κατηγόρουν* § 11 neglexerit.

§ 7 quadringenti mire dividuntur in eos, qui sententiam aliquam in curia pronuntiaruut, et in eos, qui tacuerunt, et verba quae sequuntur *οὗτος δὲ* *οὐδὲ* *γνώμην* *οὐδεμίαν* aptius opposita erant enuntiato, quod praecessit, si orator in hoc de iis qui mala in populum locuti erant, dixerat. Compluriens epitomatore auctore subiecta enuntiatorum interciderunt: § 8 *ἐξήλαυνον*: *ἐκεῖνοι*. § 12 *ἐπειδὴ ἀνὴρ ἐγένετο*: *οὗτος*. *εἰσήνεγκεν*: *ὁ πατήρ*. § 13 *πῶς δ' ἂν γένοιτο δημοτικώτερος*: *τις* (Thalh. p. 27) cfr. 10, 1: 11, 1 (*ἔφασκεν* p. 6). 10, 10: 11, 5 (*ὠνόμαζεν* p. 3). § 12 *αὐτοῦ* deest post *δημότης*, § 26 *τινός* post *Συρακουσίου*, § 29 articulus *τῶν* ante *ἀνθρώπων*. Neque recte magistratum Polystrati Eretriensem *κατ' ἐξοχὴν τὴν ἀρχήν* vocavit, ante quae verba pronomen *ταύτην* ab eo omissum esse puto. Post *Τυδέα* autem *τὸν στρατηγόν* vel nomen pagi, cuius ille erat, excidisse cum Fraenkelio (p. 16) putare non iam verebimur (cfr. Thalh. p. 12). Etiam verba absolute posuit Noster ut in epitome, in quam oratio-

nem decimam redegit (p. 6). § 4 ἔπραττε (τὰ τοιαῦτα, etiam προσηκόντως? Parow p. 21). § 15 λέγω (τοῦτο). § 16 παρέδοτε (τὰ πράγματα). § 30 πάσχειν (κακόν τι). § 33 εἰσέβαλον (εἰς τὴν ἡμετέραν χώραν). Huiusmodi sunt fortasse etiam verba § 1 ἐπιβουλεύσαντες (ὑμῖν), § 6 ὑπέμειναν (τὴν κρίσιν cfr. 13, 63), cfr. Thalh. p. 21. 24, § 6 προέδωκε (τὴν πόλιν cfr. p. 13), § 12 ἐξέτινε (? cfr. 9, 9). Item iudicum appellationes in nostra oratione desunt (cfr. p. 6) usque ad § 19: eos in initio saltem orationis appellatum iri exspectamus. (Contra conferas initia octavae et nonae orationis.) Neque in prima parte ea quae afferuntur usquam a testibus confirmari eo magis mirum est, quod magnam orator ipse iis vim tribuit; nam patrem tanta pecunia multatum esse dicit propterea, quod nemo testimonia ei dicere voluisset (§ 18). Largior rerum a Polystrato per singulos magistratus gestarum testes in protologia productos esse. Inimicitiam, quae patri cum Phrynicho erat, orator testificari non iussit? An vero huius rei testes nulli in promptu fuerint? Idem vitium invenis in undecima oratione et in nona, in qua etsi orator § 9 a se testes prolatos esse dicit, tamen tituli nusquam est vestigium. Quod titulus *ΜΑΡΤΥΡΕΣ* §§ 25. 26. 28 in codicis margine tantum ascriptus, § 29 plane omissus est, cum quae eum praecedere solent (ὧν μάρτυρας παρέξομαι etc.) exstent, non premo; saepius utrumque in Palatino factum est (illud 16, 14. 17. 23, 4. 8; hoc 3, 14. 10, 5. 17, 9. 19, 41). Etiam epistulam (§ 27), qua aliquid emolumenti patri creare studet orator, eum recitari iussisse duco, ut cum eam semel commemorasset, efficeret, ut iudices ipsi confiderent. Nec vero, quod hic titulus deest, librario, sed excerptori tribuo, quia in Palatino titulos nisi iam ante indicatos (velut 10, 14 ἀνάγνωθι τὸν νόμον) non deesse video praeter hunc locum (cfr. νόμος 10, 4. ἐρώτησις 13, 30. 31. ὀνόματα 13, 38. νόμοι ὅρκοι γραφή 14, 47. συγγραφὴ χρημάτων 19, 28. λειτουργίαι 19, 57). Ineptias, quae insunt in § quinta (ἀλλ' εἴ τις ὀλίγας ἄρξας etc. cfr. p. 22 sq.) inde ortas esse confido, quod Noster καὶ ante ὀλίγας (Herwerden Anal. 58) omisit, sicut in undecima particula ἂν

neglecta est ratione, quam prava inde prodiret sententia, habita nulla (p. 7).

Neque desunt loci, quibus Nostrum voluisse oratoris verba variare vel emendare apparet. § 1 in verbis ἵνα μήτε τὴν πόλιν — μηδένα a logica ratione offendimus (Thalh. p. 21); quare suspicor oratorem scripsisse οἵ δ' οὔτε τὴν πόλιν οὐδὲν κακὸν ἐργασόμενοι — vel ἐργάζεσθαι μέλλοντες — οὔθ' ὑμῶν οὐδένα, epitomatorem autem studio mutandi ductum in vitium incurrisse. § 11 verbum μαρτυρεῖν insolenter cum participio coniunctum est. Praeterea ei, qui Lysiae orationem vult vindicare, αὐτόν omissum scrupulum inicit. Simile exemplum habes in oratione nona (§ 13 εἰδὼς ἄξιον λόγον γεγενημένον sc. αὐτόν), cuius tamen orationis eandem atque nostrae fortunam fuisse iudico. Alii sane scriptores αὐτόν et αὐτούς omittere non verentur (velut Demosth. 19, 30 ἐπιδείξητε ἀκύρους ὄντας ὑμῶν. 27, 47. 29, 25). Itaque hoc quoque loco Nostrum variasse existimo; orator habuit μαρτυρησάτω ὡς ἀναγκαῖος ἦν. § 3 virorum doctorum iram merito excitavit. Verba ἡλικίαν εἶχε ad utrumque enuntiati membrum pertineat necesse est (Hoffmeist. p. 11). Sed facillime oratorem vitio liberabis, si hunc infinitivum ὑβρίζειν posuisse, Nostrum, cum quid Pol. non voluisset, hic exponi ei in mentem veniret, coniunctione finali adhibita ἵνα ὑβρίζοι scripsisse autumabis. Conferas velim has mutationes cum enuntiatis condicionalibus et infinitivis in decima et undecima oratione inter se mutatis (p. 8). — Tempora tribus locis videtur epitomator mutasse. § 1 participium aoristi ἐπιβουλεύσαντες ferri nullo modo potest. Neque enim apparet, cur orator de sceleribus a quadringentis iam ante ipsorum imperium commissis, propter quae digni essent, qui punirentur, solis dixerit ac non de omnibus eorum peccatis vel de omni eorum malignitate. Habes verba aptissima, si a Nostro participium praesentis in aoristum mutatum esse mecum putas. Neve dubitaveris, quin idem συστρατευσάμενοι in συστρατευόμενοι § 29 (cfr. Thalh. p. 34) corrupit et ἡμάρτητο, quod iam Dobreus postulavit, in ἡμάρτηται. Si fieri potuisse negas, ut haec ita mutaret, dicas quaeso, quid tandem excerptorem commoverit, ut pro ἔστιν 10, 4 ἦν 11, 2,

pro ποιήσαντα 10, 22 ποιοῦντα 11, 7 poneret. Frustra investigare elaborabis. — Noster etiam nescio an § 16 ἐν ὀκτὼ ἡμέραις pro ὀκτὼ ἡμέρας (cfr. § 14), ut oratoris verba variaret, idemque ἄν particulam § 9 (καθίσταντο) scripserit, quae male sequitur mera imperfecta multa (ἀπηχθάνοντο. ἔφευγον etc.) quaeque in oratione undecima temere modo eiecta modo addita est. In medio relinquo, utrum ille an librarius § 5 προέδωκε pro προὔδωκε (§ 5 προὐδίδοσαν) et § 26 συλλογὴν pro σύλλογον (Thalh. p. 33) induxerit (cfr. 10, 27 εὐθύνην — 11, 9 εὔθυναν).

Studium eius antithetorum faciendorum (cfr. p. 9 sqq.) elucet e § altera. Pessime inter se opponuntur οὗτος γὰρ ᾑρέθη μὲν — κατηγοροῦσι δὲ (Thalh. p. 22); sed videamus ne oratori hanc oppositionem imputemus. Nonne etiam in summario decimae orationis antithetis μὲν — δὲ ea, quae prorsus disiuncta erat, coniunxit Noster? (§ 1 ὅτι μὲν — ὅτι δέ). Neque melior est oppositio § 1 τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίων; exspectamus τοῖς ἔργοις tantum. Quid igitur iudicabimus? ἐνίων a Nostro additum est, ut etiam verba τῶν τετρακοσίων haberent, quibus contraria essent. Idem ἠδικηκότες (cfr. p. 23) in textum inseruit, bonam nimirum verborum οἱ μὲν δοκοῦντες ἀδικεῖν antithesin invenisse sibi visus. Simillimae hae mutationes sunt ei quae exstat 11, 3 τῆς τῶν ἔργων διανοίας pro τῆς τούτων διανοίας 10, 7 (cfr. p. 9).

Pauca restat ut moneam. Erotico excepto duplex ἄν (§§ 9. 15) invenimus praeter undecimam et nostram in nulla earum orationum, quae Lysiae nomine traditas habemus. Neque Noster aetatis suae sermonem omnino celare potuit (cfr. p. 12). Adiectivum ἔξαρνος cum duplici negatione μὴ οὐ coniunctum (§ 19) exstat apud Lucianum demum (dial. mort. 14, 1), cum antea unum μή sequi solitum sit. (A Lysia aut absolute adhibetur 1, 19. 12, 31. 16, 8 aut cum accusativo coniungitur 3, 27. 13, 32. 32, 20.) χάριν εὑρίσκεσθαι (§ 33) nusquam, εὑρίσκειν in Novo Testamento tantum inveni. Huc refero etiam ἁρπάζειν καὶ φέρειν § 17, pro qua formula antiqui semper ἄγειν καὶ φέρειν sicut § 28 dicunt.

His ita expositis quicunque quae et de oratione undecima et de vigesima disputavimus, consideraverit diligenter, fatebitur, vitiis quae in hac deteximus similia, nonnulla vel simillima deprehendi in illa et in utraque eiusdem, qui oratoris verba partim contraxit, partim omisit, partim variavit, vestigia vel aperta vel occulta exstare. Etiamsi non pertinaciter contendam omnia vitia, quibus sanandis operam navavi, epitomatorem induxisse, et concedam, nonnulla, imprimis ea, quae facillime emendantur, fortasse librariorum culpa contracta esse, restant pleraque, quorum culpam ille manifestam fert. Nec vero omnes vigesimae partes aequo studio tractavit atque undecimae. Huius nullam intactam reliquit, illius primam partem multo magis corrupit quam alteram et epilogum, ut laborem excerpendi aegre ferens studium sensim minueret, postremo autem oratoris verba integra fere exscriberet.

Sed etiam si orationem nostram epitomen esse nobis persuaserimus, relinquitur una offensio. Vidimus enim supra (p. 22) singularum partium ordinem vehementer eo perturbari, quod § 6 orator primum Polystrati magistratum inde a § 13 demum reliquos tractat. Quod si quidem de eius arte statuimus, recte ab initio ita fuisse non potest. Praeterea § sextam cum septima non cohaerere monuimus. Aliis rationibus Kirchnerus (p. 4 sq.) §§ 13. 14 alieno loco exstare demonstravit. Afferuntur enim in iis nonnullae res suo loco, quae iam antea commemoratae sunt ita, ut hae illas videantur respicere. § 14 Polystratum nil dixisse commemorat orator, sed iam § 7 (cfr. § 10) opposuit eos, qui sententias in curia dixerunt, iis qui tacuerunt, quasi reum unum de his fuisse iam narrasset. Item octo dierum, quos reus in senatu fuit, mentionem recte facit § 14, non recte § 10. Quibus de causis §§ 13—15 quae arcte inter se cohaerent, post § sextam transponendas censeo. Possunt unam libri paginam fecisse; quam cum librarius mero errore post insequentem scripsisset, verum paginarum ordinem notis signavit, sed alius scriba notas neglexit postea.

Quoniam pristinam orationis formam, quantum fieri potuit, redintegravimus, quaestionem, utrum Lysiae sit vindicanda an abroganda, denuo instituendam esse patet. Videamus igitur, qualem orator se praestiterit, eumque cum Lysia comparemus. Nec vero erotici, quem Phaedrus Socrati recitat (Plato Phadr. 230 E — 234 C), rationem non habebimus. Lysiae eum tribuendum esse equidem iudico*): sed vel iis, qui a Lysia eum scriptum esse non concedunt, fatendum est, eum a Platone ita elaboratum esse, ut quam accuratissime illius genus dicendi exprimeret. Ac primum quidem, etiamsi oratio epitome sit, potest tamen eius sicut undecimae (p. 11) dispositio satis certo enucleari.

In prooemio §§ 1. 2 orator dicit: Non omnibus quadringentis irasci debetis; neque enim omnes in vos inique se gesserunt: quorum in numero Pol. est, quem tribules creaverunt. — Iam fit propositio, qua totius accusationis summa comprehenditur: *οὐκ εὔνους ἦν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει.*

Tractatio (3 — 29) in duas partes divisa est.

I. Pol. nil deliquit, quo poenae obnoxium se redderet (3 — 22).

A. Crimina actorum ipsa arcentur.

1) Arguunt eum nobis rebus studuisse. Sed a) neque aetas eius ea erat, qua se aliquid effecturum esse speravit; b) neque erat, cur aut sui ipsius aut liberorum causa paucorum dominationem peteret §§ 3. 4.

2) Accusant eum, quod multos magistratus gesserit (sc. sub paucorum imperio); sed omnes bene gessit § 5. § 6 de archontis Oropii. §§ 13. 14 a de electoris. § 14 b de senatorio et Eretriensi munere agitur.

B. Signa et argumenta.

1) P. opponitur reliquis quadringentorum eumque poenam nullam debere colligitur.

a) eorum, qui populo adversati sunt, plerique poenas non luerunt; ii tantum, a quibus actores pecuniam non acceperunt, supplicium subeunt 14 b. 15. 7 a.

*) Satis id mihi videntur probasse Haenisch Lysiae Amatorius, Leipzig 1827, et L. Schmidt Verhandlungen der 18. Versammlung deutscher Phil. 1853 p. 33 sqq.

b) in eos, qui in senatu mala verba dixerunt, aeque consulunt adversarii, atque in eos, qui vel nil mali dixerunt vel tacuerunt sicut Pol.; atqui hi, cum periculum reliquis quadringentorum adversandi fuerit summum, non puniendi sunt. 7 b. 8. 9. 10 a.

2) Polystratum, qui per septuaginta annos bonum civem se praebuit, octo diebus peccasse veri dissimile est. Quare iniustum esset, si is, qui per totam vitam strenuus fuit, improbus videretur, cum ii, qui semper peccarunt, probi viderentur. Ac refellitur crimen grave amicitiae cum Phrynicho iunctae, ne videretur P. non semper bonus civis fuisse. 10 b. 11. 12.

3) Vos ipsi quondam quadringentis obsecuti estis, ut uni ex iis opprobrio vertere non possitis, quod reliquis oboediebat; nec tales peccant, sed qui vos fefellerunt; reus autem cum aliis rebus tum eo quod octo diebus postquam curiam intravit, Eretriam profectus est, se benevolum populo esse probavit. 16. 17 a.

4) Actores non rei publicae, sed sui ipsorum causa accusant neque in priore lite Polystratum poena affecissent, nisi, cum illos timeret unusquisque, reum nemo adiuvare ausus esset. 17 b. 18.

5) Iniusti essetis, si vos, qui hominibus indignis gratificati estis, nobis morem non gereretis. 19.

6) Reliquos qui peccarunt, etiamsi se scelerum conscios esse satis ipsi probarent, Athenienses non persecuti sunt, cum in Polystratum hominem recti conscium animadverterent. 20 — 22.

II. Pol. populi partibus maxime favebat.

1) Ipse multos pro re publica labores suscepit. 23.

2) Filios ita instituit, ut omnes strenuos se praeberent. 24 — 29.

Epilogus (30 — 36).

His apparet, dispositionem orationis, quam quidem nos ab oratore profectam esse nobis persuasimus, offensione plane

carere. Habes partes satis distinctas neque sine consilio iis locis allatas, quibus afferuntur. Quod autem inde a § 14 b usque ad finem eius partis, qua argumenta generaliora continentur, sectiones itemque perorationis sententiae non ita inter se excipiuntur, ut necessario altera alteram sequatur: hoc a Lysiae genere dicendi minime alienum est. Respicias quaeso, quod iudicium de erotici sententiarum ordine Plato proferat 274 B: *οὐ χύδην δοκεῖ βεβλῆσθαι τὰ τοῦ λόγου; ἢ φαίνεται τὸ δεύτερον εἰρημένον ἔκ τινος ἀνάγκης δεύτερον δεῖν τεθῆναι ἤ τι ἄλλο τῶν ῥηθέντων; ἐμοὶ μὲν γὰρ ἔδοξεν, ὡς μηδὲν εἰδότι, οὐκ ἀγεννῶς τὸ ἐπιὸν εἰρῆσθαι τῷ γράφοντι.* Neque aliter Dionysius et Caecilius de Lysiae orationibus iudicant (Blass. I p. 392. 393), neque si ipsas inspexeris, rem ita se habere te fugiet. Velut vigesimae septimae partes paene omnes utrum hoc an illo loco ponantur, plane nil refert. Ac tantum abest, ut disputationis orationis nostrae quidquam invenias, quod Lysia sit indignum, ut similitudinem aliquam intercedere inter huius et vigesimae quintae, quae in simili argumento versatur, sententiarum ordinem negari non possit (cfr. Parow. p. 19). Nec a re est animadvertere oratorem iam in prooemio crimen patri obiectum refutare, cum eum benevolum curiam intrasse inde apparere dicit, quod a tribulibus creatus sit. Simili enim modo invalidus oratione vigesima quarta se stipendio publico dignum esse probaturus, iam in exordio se in ius non vocatum esse nisi actoris invidia demonstratum vult. In una re haereas forsitan et haeserunt docti. § 19 enim orator suis fratrumque meritis (*ἡμῖν δὲ αὐτοῖς τε προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον*) nititur, quae tamen inde a § 24 demum narrantur. Sed nescio an ideo nimis vituperatus sit. Summum affectum spirat tota §: iam cum eorum mentionem fecisset orator, qui etsi se peccasse infitias non ibant, damnati sunt, ante oculos ei versatur meritorum patris, meritorum filiorum imago tam vera, ut de iis dubitari non possit, et prae affectu haec apparere sumit. Praeterea licet suspicari, Athenis notissimum fuisse, quam bene filii se gessissent: ut oratori, quod hac re iam nunc nititur, haud sane succenseamus.

Quod autem ad sententias ipsas attinet, locos complures communes, quos in oratione nostra habemus, eosdem exstare in ceteris Lysiae orationibus supra vidimus (p. 25 sq.). Neque desunt aliae sententiae, quae alibi quoque occurrunt. § 7 pericula imminent iis qui nil deliquerunt pariter atque iis qui peccaverunt 5, 2. 7, 1. Ibid.: accusatores corrumpuntur tabellasque suas delatorias delent 28, 9. 29, 1. § 19 etiam ii, qui aperte peccaverunt, absolvuntur 9, 22. 27, 16. § 33 non ad pecuniam, sed ad caput rerum lis pertinet 9, 21. 18, 1. 29, 11. § 36 ab hostibus servati sumus; vos contra nos servare non vultis? cfr. 18, 12. — § 10 *καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν . . . καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα* etc. cfr. 19, 60 *ἐνθυμεῖσθε, ὅτι ὀλίγον μὲν χρόνον δύναιτ᾿ ἄν τις πλάσασθαι τὸν τρόπον τὸν αὑτοῦ, ἐν ἑβδομήκοντα δ᾿ ἔτεσιν οὐδ᾿ ἂν εἷς λάθοι πονηρὸς ὤν.* § 16 *εἰ αὐτοὶ τοσοῦτοι ὄντες ἐπείσθητε* cfr. 24, 13. 22. 30, 32 quibus locis orator admonet ne tot iudices ab uno adversario decipiantur.

Cum Lysiae autem genere dicendi optime convenire, quod multi orationis vigesimae loci in aliis exstant iidem, e locis, quos contulimus cum ea, satis perspicuum est. Tamen quo magis id appareat, operae pretium est omnes locos a Lysia repetitos ante oculos ponere, praesertim cum eos nondum a quoquam collectos videam. 3, 22 adversario, ut reum revera fecisse, quod crimini ei dabat, coargueret, testes tum, cum ille peccaret, advocandi erant 7, 20. — 4, 14 argumentum inde petitur, quod adversarius servos tormentis dare noluit 7, 34. — 7, 23 peto a vobis, ne eandem habeatis sententiam atque actor 25, 3 cfr. 24, 14. — 7, 30 cfr. 33 vobis, iudices, non verba, sed facta, quae novistis, respicienda sunt. 12, 33. 19, 6. 25, 13 cfr. 24, 14. — 9, 1 adversarii rem, de qua agitur, neglegunt alienaque accusant 12, 38. — 12, 34 reum demonstrare oportet, se scelus, quod fecisse arguitur, aut omnino non aut suo iure commisisse 13, 84 cfr. 29, 5 (Demosth. 19, 203). — 12, 37 reus dignus est, qui compluriens interficiatur 13, 91. 28, 1 (Dem. 19, 110. 131. 302. 21, 21. 118. 201 cfr. Plat. Apol. 30 C). — 12, 90 si iudices reos absolverint, videbuntur iisdem rebus studere atque hi 28, 17.

— 12, 93 *τοὺς ἰδίους οἴκους οὗτοι μὲν ἐκ τῶν πραγμάτων μεγάλους ἐκτήσαντο* 27, 10. 28, 13 cfr. 29, 4 *ὑμεῖς δὲ .... ἐλάττους ἔχετε* 27, 9. — 12, 100 quid mortuis e litis exitu futurum sit 13, 95 (Demosth. 27, 69). — 14, 20 iis, qui reum nunc exorant, antea commovendus erat, ut bene se gereret 30, 32. 31, 32. — 14, 22 si amici etsi reum poenae obnoxium non esse demonstrare non possunt, a vobis tamen postulant, ut morem ipsis geratis, nolite eos audire 27, 13 cfr. 12, 86. — 14, 24 *ἐπειδὴ καὶ τῶν ἀπολογουμένων ἀποδέχεσθε λεγόντων τὰς σφετέρας αὐτῶν ἀρετὰς .... εἰκὸς ὑμᾶς καὶ τῶν κατηγόρων ἀκροᾶσθαι, ἐὰν ἀποφαίνωσι τοὺς φεύγοντας πολλὰ εἰς ὑμᾶς ἡμαρτηκότας* etc. 30, 1. — 16, 1 reus gratias paene agit actoribus, quod occasionem, quam bonus civis esset, probandi ipsi dederint 24, 1. — 18, 17 concordia rei publicae summae est saluti 25, 23. — 19, 64 *τά τε δίκαια ψηφιεῖσθε καὶ ὑμῖν αὐτοῖς τὰ συμφέροντα* 21, 12 cfr. 22, 22. — 25, 1. 3. 6. 26 de iis, qui in iudicio multum valent, ut pecuniam a criminosis accipiant 27, 2. — In oratione vigesima septima et in Nicomachea multa similia inesse, iam Dobreus vidit cfr. 27, 5 — 30, 24; 27, 7 — 30, 23; 27, 15 — 30, 35. — 27, 9 *οὗτοι ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγόνασιν ἐκ τῶν ὑμετέρων* 28, 1 cfr. 30, 27. — 27, 11 nonnumquam iis invidetis, qui patrimoniis fruuntur cfr. 21, 15 *ὑμῖν προσήκει μᾶλλον .... ἢ πλουτοῦντι φθονῆσαι.* — 27, 12 in causis publicis vos vel *τῶν ἀδικούντων* miseret cfr. 28, 14. 29, 8. — 27, 13 amici et contribules rei accusantium voluntatem sibi conciliare frustra studuerunt 30, 34. — 27, 16 nolite reum, cum condemnaveritis, in aestimatione litis sine multa dimittere cfr. 30, 30. 35. Ibid. si reos absolveritis, nihil nisi inimicitiam vobis ab illis parabitis 28, 16. — 28, 9 *ἐπιδεῖξαι ὅτι οὐκ ἔστι χρήματα τοσαῦτα ὧν ὑμεῖς ἡττήσεσθε ὥστε μὴ τιμωρεῖσθαι τοὺς ἀδικοῦντας* 29, 13. — 30, 27 reum, opinor, liberare vultis, ut in posterum melior factus vobis gratias agat? cfr. 31, 24.

Videmus ex hoc sententiarum conspectu, Lysiam unius atque eiusdem orationis multis locis eadem dixisse atque in aliis: idem cadit in vigesimam. Neque multas sententias a

Nostro aptissimas allatas esse neque multarum tenuitatem Lysiae nos admonere quisquam negaverit (cfr. Blass. p. 506 sq. Thalh. p. 38). At sunt, quae doctorum iram excitaverint. Puerile vocatur enuntiatum *οὐ γὰρ οἱ καλῶς ἄρχοντες* etc. § 5. Ego contra hic oratoris studium agnosco adversarios quodammodo ad absurdum deducendi: quasi vero ii, qui bene magistratibus functi sunt, urbem prodiderint. Similis est condicio enuntiati *οὐδὲ γὰρ εἴ τις . . . . οὐχ ὑμεῖς ἐστε αἴτιοι, ἀλλ' ὁ ἐξαπατῶν ὑμᾶς* § 20. Carere sane possumus eo, sed paradoxon ponitur, ut ea quae ante dicta sunt vera esse luculentius probetur. Neque equidem offendo in verbis *εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν* § 18; nam magis etiam quam misera Polystrati condicio in priore iudicio fuerit, inde patet: testimonia habuerunt quidem nonnulli, sed ea proferre non potuerunt. Nec suo iure Blassius (p. 508 cfr. Parow. p. 29) oratorem reprehendit, quod epistula a patre filio in Siciliam missa nisus sit. Probat ea id, quod probandum sibi proposuit: nimirum eum, qui populo sic adversatus esse arguitur ut Pol., exspectatur ne filium quidem pro civium salute stipendia merere sivisse. At enim nonnullae sententiae in oratione ipsa repetuntur. § 14 extr. et 20 sq. agitur de iis, qui scelera commiserunt, sed fugerunt. Sed facile perspicitur in alio contextu hanc sententiam illo, in alio hoc loco proferri. Atque idem cadit in §§ 31 et 34, in quibus orator iudices admonet, filios Polystrati *προθύμους* fuisse in cives. Praeterea ne in oratione duodevigesima quidem omnes sententiae semel occurrunt (Francken. p. 129).

Sequitur, ut de stilo rebusque grammaticis diligenter quaeramus. Conferamus primum singulorum verborum et formularum delectum cum Lysiae dictione.

§ 1. *οὔ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργίζεσθαι.* Fr. 78, 1 (Scheib.) *ἀναγκαῖόν μοι δοκεῖ εἶναι* atque omnino saepissime Lysias verbo *δοκεῖ μοι* utitur, ubi quid factum vel faciendum sit orator iudicat. 5, 1. 5. 10, 3. 12, 84. 13, 91. 16, 9. 17, 10. 32, 23. Fr. 78, 4 etc. — *τῷ ὀνόματι — τοῖς ἔργοις* cfr. § 17 *τῷ μὲν ὀνόματι — τῷ δ' ἔργῳ* 13, 15 cfr. *λόγῳ μὲν — ἔργῳ δὲ* 9, 21. 34, 5. — *κακόν τι* (vel *κακά*) *ἐργάζεσθαί τινα* 4, 19.

12, 33. 13, 51. 52. 75. 14, 44. 21, 8. *κακόν τι ἐργ.* §§ 4. 28. 12, 22. 41. 57. 89. 13, 25. 31. 52. 25, 5 cfr. *ἀγαθόν τι ἐργ. τινα* 5, 5. 14, 36. 16, 19. 21, 11. 25, 11. 28. — *ὧν εἷς ὢν οὗτος*: 26, 3 *ὧν εἷς οὗτος ὤν.*

§ 2. *χρηστὸς περί τινα* 13, 60. 14, 31. *διαγιγνώσκειν περί τινος* 3, 2. 43. 7, 3. 22. 42 cfr. 24, 15.

§ 3. *τίνος ἕνεκα*: *τοῦ ἕνεκα* 13, 20 cfr. *τούτου* (neutr.) *ἕνεκα* 3, 40. 13, 52. 53. 19, 38. 57. — *ὀλιγαρχίας ἐπιθυμεῖν* 25, 7. — *τῷ σώματι πιστεύων* cfr. 24, 16 *ταῖς ῥώμαις π.* — *ὑβρίζειν εἰς* 1, 16. 25 (acc. *τινά* 8, 5. 14, 26. 29). — *ἀποτρέπειν τινά* 8, 10. 12. 12, 49. 29, 13 (*τι* Erot. 231 D. 232 C).

§ 4. *ὁ πρόσθεν χρόνος* 21, 25 (*ὁ τέως χ.* 21, 19. 27, 16. 33, 1. *ὁ ἔμπροσθεν χ.* 17, 9. 19, 45. 53. *ὁ πρὸ τοῦ χ.* 12, 2). — *ἑτέρας πολιτείας ἐπιθυμεῖν* 25, 11. 34, 1. (*ἑτέρων πραγμάτων ἐπ.* 25, 12.)

§ 6. *ἑτέραν πολιτείαν καθιστάναι* cfr. *ὀλιγαρχίαν καθ.* 12, 42. 25, 9. 28, 7. 11 (*στασθαι* 13, 12).

§ 7. *κερδαίνειν παρά τινος* 22, 20, absolute sicut § 17 usurpatum 7, 20 (*ἀπό τινος* 8, 16. 31, 17. *τὸν χρόνον* 13, 84. *πλεῖστα* 22, 13 cfr. 5, 4. 7, 32. 8, 20. 31, 18). — *κατηγορίας ποιεῖσθαι* 7, 13. 19. 19, 3. 31, 2 cfr. *ἀπολογίαν π.* 14, 8. 16, 8. 9. 22, 17. 25, 7. *τιμωρίαν π.* 1, 42. 30, 6. 16. *ἀπόδειξιν* 12, 19. *ζήτησιν* 12, 30. *διατριβάς* 16, 11. *ἀμφισβήτησιν* 17, 5.

§ 8. *κακόν τι πάσχειν* 3, 5. 12, 50. 57. §§ 15. 19. 36. *δεινὰ πάσχειν* 3, 9. 7, 22. 13, 94. 18, 12. Fr. 1, 3. — *ἐναντία λέγειν* § 14 cfr. *ἐν. ποιεῖν* 18, 13. 30, 19. 31, 8. *πράττειν* 12, 42 bis. 43. 22, 10. *ψηφίζεσθαι* 13, 96. 97. 18, 14. *ἐναντίος* c. dat. 20, 8. 14. 4, 8. 12, 42 bis. 43. 64. 13, 96. 97. 22, 10. 31, 8, c. genet. 3, 38. 13, 51. 30, 19. *ἐν. ἤ* 12, 2. 64. — *ἐναντιοῦσθαι ὑπέρ* cfr. *τιμωρεῖσθαι ὑπ.* 12, 35. 13, 74. 15, 9. *ὀργίζεσθαι* 12, 2. *αἰσχύνεσθαι* 3, 3. 14, 39. *ἀπολογεῖσθαι* 12, 89. 14, 21. 22, 10. 26, 3. 13. 28, 9. 30, 31. *προνοεῖσθαι* 26, 15. *τιμωρεῖν* 13, 1. 41. 42. 51. 92 bis. 94.

§ 9. *ἀποκτιννύναι* 12, 7. 36. — *ἡ πολιτεία μεθίσταται* 16, 4 cfr. 30, 14. 26, 23 (*μετάστασις* 30, 10). — *δίκην διδό-*

ναι τινός 12, 35. 26, 12 (*λαμβάνειν τινός* 3, 9. 12, 82. 83. 23, 5) *δ. δ. ὑπέρ* 3, 1. 42. 7, 6. 12, 37. 28, 1.

§ 10. *δεινόν μοι δοκεῖ εἶναι* 7, 29. 14, 17. 31. 15, 7. 22, 13. 30, 8. 32. — *εἰπεῖν περί τινα* cfr. *γνώμην ἔχειν περί τινα* 10, 21. — *ἐξαμαρτάνειν εἰς* 1, 26. 47. 3, 5. 4, 17. 19. 7, 16. 26. 8, 1. 12, 2. 4. 20. 23. 50. 89. 13, 69. 14, 16. 26, 1. 10. 27, 5. 30, 24. 32. *ἁμαρτάνειν εἰς* 14, 28. 38. 42. 18, 9. 10. 30, 25 (*ἁμ. περί τινα* 14, 28. *ἐξαμ. περί* Fr. 53, 1).

§ 11. *ψευδῆ κατηγορεῖν.* § 18 *τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν* 19, 4.

§ 12. *ἄνδρα γίγνεσθαι* 32, 9. — *ἐν τοῖς τοιούτοις.* § 35 *ἐν τῷ αὐτῷ* cfr. *ἐν τοιούτῳ ὄντι μοι* 12, 13. *ἐκ τῶν τοιούτων* 18, 17. *ἐν ταὐτῷ* (Lys.) 2, 38. 6, 30 (Andoc. 1, 47. *ἐν τῷ τοιούτῳ* Ant. 5, 93).

§ 13. *διάφορος* inimicus 7, 18. 14, 44. 16, 11. *τὰ διαφέροντα* 32, 1.

§ 14. *τὰ πράγματα μεταπίπτει* 25, 10. — *διὰ τέλους* 19, 11. 21, 19. 25, 17.

§ 15. *ἐκπρίασθαί τινα. ἐκ. τὸν κίνδυνον* 27, 6. *ἐξωνεῖσθαι τοὺς κινδύνους* 24, 17.

§ 16. *εἷς ἕκαστος* § 26. 8, 19. 12, 37. 13, 92. 28, 1. 30, 6. *καθ' ἓν ἕκαστον* 4, 11. 18, 3. *πρὸς ἓν ἕκ.* 24, 21.

§ 17. *πάντα μᾶλλον κατηγορεῖν.* 8, 15 *πάντα μᾶλλον διαπράττεσθαι.* 14, 38 *πάσης πόλεως μ. ἤ.* 23, 15 *πανταχοῦ μ. ἤ.* — *π. μ. κατηγορεῖν ἢ εἰς: ἄλλα μὲν ἄν τις ἔχοι ἐπικαλέσαι ἴσως, εἰς χρήματα δ' οὐδεὶς ἐτόλμησε* 19, 60 (Franz).

§ 18. *ἔρημον λαβεῖν* 34, 5.

§ 19. *ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ.* 12, 52 *ἀνδρὶ ἄρχοντι.* 13, 79 *στρατηγοῦ ἀνδρός* (Ant. 1, 18 *ἀνδρὶ ἑταίρῳ.* And. 3, 34 *ἄνδρα στρατηγόν*). — *διδόναι* permittere, concedere Fr. 11 cfr. 4, 5. — Vocem *πρόθυμος* Noster adamat (Thalh. p. 39) neque Lysias eam spernit 12, 14. 16, 14. 22, 21, adverbium habet idem 16, 17. 18, 7. 25. 21, 23. 25, 17. 30, 33. 31, 33. Fr. 231 B. Noster eam coniungit cum dativo § 15 (cfr. *χρηστός τινι* § 10. *ἀγαθός τινι* § 27), cum praepositione *εἰς* §§ 30. 31. 33 bis. 34, cum *περί* § 19, absolute ponit § 36. Apud Lysiam usus adiectivi est absolutus praeter 12, 14, ubi *πρ.* cum *εἰς* coniunctum reperis. Quod *περί* praepositio apud

eum non sequitur, non est cur offendas; coniunguntur enim cum ea alia adiectiva, in quibus similis inest vis: *χρηστός* (cfr. supra ad § 2), *ἀγαθός* 13, 2. 31, 30. *βελτίων* 31, 24. *δίκαιος* 32, 5. 23 et nonnumquam praepositiones *περί* et *εἰς* nullo fere discrimine intercedente usurpantur *εὔνοια εἰς* 30, 15 (cfr. *κακόνοι εἰς* 20, 20). *εὔνοιαν ἔχειν περί* 18, 4, *ἁμαρτάνειν περί* et *εἰς* (ad § 10). Hic etiam hoc commemoro, Nostrum dixisse § 26 *οἷος περί τινα* sicut Lysiam *ὁποῖος περί* 31, 20. 34 et §§ 28. 31. *οἷος εἰς* sicut hunc *τοιοῦτος εἰς* Fr. 1, 3.

§ 22. *μάλιστα.* § 32 *μᾶλλον μεμνῆσθαι* cfr. *τοσοῦτον μ.* 30, 14. — *πιστεύων ἑαυτῷ*: 16, 2 *πιστεύω ἐμαυτῷ.* — *τὰ γενόμενα* 1, 20. *τὰ γεγενημένα* 1, 1. 3, 21. 36. 12, 28. 26, 18. 30, 18. 31, 30. 34, 5. Fr. 75, 5. cfr. *τὰ πραχθέντα* 1, 22. 27, 8. *τὰ πεπραγμένα* 1, 5. 3, 3. 12, 85. 13, 19. 14, 2. 16, 2. 25, 11. 30, 3. 30. 33, 9. — *μετὰ τοῦ δικαίου*: crebro apud Lysiam neutrum adiectivi cum praepositione coniunctum invenitur *περὶ τοῦ δικ.* Fr. 88. *παρὰ τὸ δ.* 12, 29. 15, 1. 17, 10. 27, 2. 30, 15. *ἐκ τοῦ δ.* 19, 9. *μετὰ τοῦ ἀληθοῦς* 19, 53. *παρὰ τὸ βέλτιστον* Er. 233. — *ἐγὼ ὑμῖν ἀποδείξω* §§ 26. 28: 31, 12 *ὡς ἐγὼ ἀποδείξω.* 13, 33 *ἐγὼ οἶμαι ὑμῖν ἀποδείξειν.* 23, 1 *πειράσομαι ἀποδεῖξαι* (praeter hos locos exstat *ἀποδ.* 3, 4. 7, 5. 14. 39. 42. 43. 12, 34. 39. 13, 49. 76. 16, 7 bis. 8. 12. 22, 6. 25, 2. 14 bis. 27, 13. 29, 5. 30, 9. 11. 13. 14. 32, 25. *ἐπιδ.* 1, 4. 5. 21. 22. 3, 4. 44. 12, 2. 13, 62. 16, 3. 24, 9. 28, 10. 15. 29, 13. 30, 15. Fr. 75, 6).

§ 23. *ὅσων οὐδεμιᾶς στρατείας ἀπελείφθη* cfr. § 25. 16, 18 *τῶν ἄλλων στρατειῶν οὐδεμιᾶς ἀπελείφθην.* — *σύνοιδα* sine dativo positum 7, 16. — *καθιστάναι* reddere. cum duobus accusativis coniunctum 7, 17. 32. 9, 19. 23, 12. 32, 23. 33, 6 etc. *μᾶλλον αἱρεῖσθαι* 1, 26. 3, 9. 7, 12. 35. 18, 5. 22, 20. 26, 19.

§ 24. *ὁρμώμενος ἐντεῦθεν.* 14, 27 *ὁρ. ἐκ Λευκῆς ἀκτῆς.* 31, 17 *ἐξ Ὠρωποῦ.* — *ἐξαιρεῖσθαι εἰς σωτηρίαν.* *ἐξ. εἰς ἐλευθερίαν* 23, 9. 12. — *ἐν τοῖς πολεμίοις εἶναι*: Er. 231 E *ἐν τοῖς πολλοῖς ὄντα* cfr. *ἐν ἀνδράσι λέγειν* 32, 11.

§ 25. *ὧν ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι* § 28. 3, 14.

§ 26. ἀκηκόατε τῶν μαρτύρων 1, 43. 12, 48. 19, 24. 60. 32, 28.

§ 27. τὰ ἐν Σικελίᾳ καλῶς ἔχει cfr. 8, 7. 14, 35. 37. — ταὐτὰ ὑμῖν συνέφερε καὶ τοῖς ἐκεῖ cfr. 18, 17. 22, 13. 26, 15. 27, 9. — εὔνους τῇ πόλει καὶ ὑμῖν. 10, 3 ἄξιος καὶ ὑμῖν καὶ τῇ πόλει.

§ 28. ἐξελαύνω ἐκ 3, 40. 43. 13, 47, sicut reliqua verba cum ἐκ praepositione composita ἐκβάλλω 14, 36. 32, 16. Fr. 75, 4. ἐκπίπτω 12, 57. 18, 17. 26. Fr. 1, 1. ἐκκηρύττω 12, 35. 95. 31, 8. ἐκφέρω 12, 18, praeter ἐξελαύνω τινός 26, 2.

§ 29. μηδενὸς ἧττον: οὐδενὸς ἧττ. 7, 31. 32, 23. οὐδ. ἔλαττον 29, 1. οὐδ. χεῖρον 25, 12.

§ 30. μηδεμία ὠφέλεια γίγνεται Er. 234 C. cfr. 25, 10. 11.

§ 31. ἡ ἀξία χάρις Er. 231 B.

§ 32. μηδαμῶς 13, 95. 21, 25. 24, 23. οὐδαμῶς 4, 7. — τὸν λόγον βεβαιοῦν cfr. 18, 15 ἃ συνέθεσθε βεβ. — ὁ πάντων πονηρότατος cfr. 1, 10. 36. 3, 39. 4, 19. 7, 16. 41. 13, 85. 93. 94. 19, 5. 30, 11. Fr. 53, 1. — ἡττᾶσθαί τινος 28, 9 (ὑπό τινος 21, 19. 26, 19. Er. 233 C). — ἔχει ὑμῖν οὕτω. 1, 23. 39 καλῶς ἔχει αὐτῷ. 27, 6 ἀσφαλῶς αὐτοῖς ἔχει κλέπτειν (And. 1, 146 ἔχει ὑμῖν, ὦ ἄνδρες, οὕτως).

§ 33. οὐκ ἔστι πόθεν ἐκτίσωμεν. 18, 9 οὐδ' ἔστιν ὅτου. 8, 7 οὐδὲν ἐξεῦρον ὁπόθεν. 8, 5 οὐκ ἔχειν ὅπως ἀπαλλαγῆτέ μου (cfr. 18, 24. 21, 21). His locis collatis in § nostra ὁπόθεν scribendum esse censeo sicut 32, 9 σκόπει etc. Cobetus ὁπόθεν iam scripsit.

§ 34. παῖδας ἀναβιβάζεσθαι 12, 24. 18, 24. — ὀλοφύρεσθαι 29, 4. χαρίζεσθαι a Lysia persaepe adhibitum 19, 2. 23. 22, 21. 30, 14. Fr. 75, 2. Er. 231 B. C etc.

§ 35. τοὐναντίον πάσχειν 12, 2. — παῖδας παρίστασθαι 18, 10. 32, 13. — ἀντί τινός τινα ποιεῖν: ἀντί τινός τινα καθιστάναι 26, 15 (ἔκ τινος κ. 28, 11), item usurpatur γίγνεσθαι 30, 27 (γ. ἐκ 27, 9. 28, 1. 2). — συνεῖναί τινι 8, 6. 18. 19. 24, 5. 9. Er. 233 B. — ἀνάξιοι ἡμῶν etc. cfr. ἀνάξια μὲν ἡμῶν αὐτῶν πεπονθότες, ἀνάξια δὲ τῶν εἰς ὑμᾶς ὑπηργμένων 21, 25.

§ 36. *δεόμεθα οὖν ὑμῶν*: 19, 64 *δέομαι οὖν ὑμῶν* (21, 19) atque etiam aliis locis sententiae, quae finem orationis faciunt, *οὖν* particula inducuntur 9, 22. 13, 97. 18, 27. 26, 24. — *πρός τινος* (*δέομαι, ἱκετεύω* etc.) 4, 20 (per deos 13, 95. 19, 34. 54). — *τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθά* 34, 8: 13, 91 *ἃ ἦν ὑπάρχοντα ἐκείνῳ ἀγαθά.* 14, 46 *τῶν τούτοις ὑπαρ. κακῶν.* — *μηδὲν τοῦ σωθῆναι*: infinitivus cum articulo coniunctus apud Lysiam saepissime occurrit, velut 12, 13. 13, 14. 26, 5. 30, 16. 31, 26.

Superest ut commemorem, Nostrum accusativo substantivi, quocum coniungitur verbum eiusdem radicis, nonnullis locis uti: § 5 *ἀρχὰς ἄρχειν.* § 13 *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν.* § 23 *εἰσφορὰς εἰσφέρειν.* § 32 *λόγον λέγειν*, eiusdem autem Lysiam amantissimum esse. Inveniuntur apud eum hi: *ἀρχ. ἄρχ.* 13, 62. 18, 10. 21, 18. 24, 26. 25, 14. 30. *ἐπιβ. ἐπιβ.* 30, 23. *εἰσφορ. εἰσφ.* 18, 7. 19, 29. 57. 21, 3. 22, 13. 25, 12. 30, 26. *λογ. λέγ.* 8, 8. Fr. 1, 2. — *ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι* 7, 39. *ἁμάρτημα ἁμαρτάνειν* 31, 21. *ἁμαρτίαν ἁμ.* 31, 27. *ἀπαγωγὴν ἀπάγειν* 13, 86. *ἀπογραφὰς ἀπογράφειν* 13, 65. *βουλὴν βουλεύειν* 13, 20. *γραφὰς γράφεσθαι* 13, 65. 73. *δαπάνας δαπανᾶσθαι* 21, 3. *δίκας δικάζειν* 26, 12. *δικ. δικάζεσθαι* 12, 4. 13, 65. 21, 18. Fr. 1, 1. *ἐπιβουλὴν ἐπιβουλεύειν* 13, 17. *θυσίας θύειν* 30, 17. *κίνδυνον κινδυνεύειν* 1, 45. 3, 47. 10, 27. 21, 11. *κρίσιν κρίνειν* 13, 50. *λειτουργίας λειτουργεῖν* 3, 47. *μαρτυρίαν μαρτυρεῖν* 10, 30. *μάχας μάχεσθαι* 12, 95. *νίκας νικᾶν* 26, 3. *παράγγελμα παραγγέλλειν* 12, 17. *πόλεμον πολεμεῖν* 12, 92. *πομπὴν πέμπειν* 13, 80. 82 *π. συμπέμπειν* 13, 80. 81. *πράγματα πράττειν* 12, 3. *προφάσεις προφασίζεσθαι* 8, 16. *στρατείαν στρατεύεσθαι* 10, 25. 21, 20. *τριηραρχίαν τριηραρχεῖν* 13, 62. *φυγὴν φεύγειν* 13, 74. *χορηγίαν χορηγεῖν* 19, 57. *ψήφισμα ψηφίζεσθαι* 13, 22. 23. 29. 59.

Loquar nunc de rebus grammaticis. Aoristi *ἔφησαν* § 11 optativus exstat 10, 23 *φήσαιτε*, participium *φήσας* 7, 22. — Infinitivi pendent ab adiectivis *δίκαιος* §§ 9. 12. 30. 34: 9, 9. 25, 14. Fr. 16, 2 (Thalh.), *ἄξιος* § 8: 4, 20. 13, 91. 27, 13. 31, 12, *οἷός τε* §§ 5. 19: 1, 31. 7, 18. 10, 13. 12, 36. 13, 93. 14, 36. 22, 16. 29, 1. 31, 18, *ἱκανός* § 3: 3, 10. 33. 17, 1.

25, 5, ἕτοιμος § 26: 7, 34. cfr. κύριος 9, 12. αἴτιος 13, 82. 19, 51. 26, 13. 27, 2. 30, 19 al. — § 3 ἡλικίαν ἔχειν c. inf. 7, 29. — § 17 ἐπιθυμεῖν c. inf. 1, 44. 46. 3, 29. 30. 16, 5. 19, 18. 51. 56. 63. 25, 34. 34, 8. — § 18 ἔχω c. inf. queo 3, 46. 4, 2. 18. 7, 9. 14. 17. 9, 14. 12, 50. 59. 13, 76. 19, 25. 29. 60. 21, 14. 18. 26, 21. 23. 27, 4. 6. 30, 12. 15. 28. — § 21 ποιεῖν c. acc. c. inf. efficere, ut aliquis aliquid faciat. 12, 36. 14, 22. 18, 13. 24, 7. 25, 21. 26, 23. 28, 6. 30, 14. 33, 6. — § 27 ἐπιστολὴν ἔδωκεν ἀποδοῦναί μοι cfr. παραδιδόναι βασανίζειν 7, 34. παρ. θανάτῳ ζημιῶσαι 22, 2 (προτιθέναι βουλεύσασθαι 9, 16). — § 36 κωλύειν c. inf. 13, 17. 18, 22. 24, 13. — A verbo μέλλω ut apud Nostrum ita apud Lysiam et infinitivus praesentis § 9. 7, 22. 8, 12. 12, 21. 13, 4. 88. 15, 9. 10. 16, 13. 19, 23. 24, 15 et infinitivus futuri § 22. 3, 2. 3. 32. 34. 7, 16. 24. 9, 16. 12, 17. 32. 56. 76. 80. 99. 13, 37. 79. 14, 4. 29. 30. 18, 5. 19, 26. 38. 59. 63. 21, 7. 24. 22, 13. 14. 20. 25, 23. 26, 8. 33, 6. Er. 233 A. B pendet, uterque Fr. 40 (inf. aor. 15, 10). — ἀποφαίνω c. acc. c. part. § 7. 14, 24. 31, 4. 7.

Verbo τυγχάνω sicut 20, 1 a Lysia plerumque ὤν annectitur, sed deest participium § 36. 24, 5 (Thalh.). — § 23 ἐξόν participium absolutum 1, 46. 4, 10. 7, 42. 43. 10, 1. 18, 5. 19, 16. 24, 25. 25, 14. 18. 26, 5. 30, 4 (ἐξεσόμενον 14, 10). — Participium absolutum cum relativo copulatur § 19 ἡμῖν προθύμοις γεγενημένοις καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἠδικηκότος, id quod apud Lysiam persaepe fit 3, 25. 7, 41. 10, 22. 14, 2. 18, 5. 19, 23. 26. 25, 31. 27, 11. — § 19 ἡμῖν οὐ δώσετε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους — γενέσθαι. § 36 δέομαι ὑμῶν . . . ἐλεήσαντας ἀποψηφίζεσθαι cfr. 7, 30. 10, 31. 25, 11. 27, 7.

Perfectum et plusquamperfectum cum dativo (pro ὑπό τινος) coniungitur ut § 4 ἡμάρτητο τούτῳ a Lysia saepissime 31, 20 (αὐτῷ μηδὲν ἡμάρτητο). 25, 19 (τῶν ἐκείνοις ἡμαρτημένων). 1, 21. 12, 37. 81. 14, 34. 16, 1. 21, 5. 18. τά τινι πεπραγμένα 14, 17. 23. 29. 25, 2. 5. 15. 28, 12. 30, 31. 31, 4. 32, 18. ὑπό uno loco inveni 25, 2 ἃ ὑπὸ τῶν τριάκοντα γεγένηται subditicio 13, 66 μεμαρτύρηται ὑπὸ τούτων excepto.

Verbum ἡγοῦμαι sequitur μὴ particula §§ 6. 8. cfr. νομίζω 27, 13. πιστεύω § 22. 13, 26. μέλλω μὴ § 9. 7, 16.

Pronomina ὁποῖοί τινες exstant sicut §§ 2. 34. 25, 29. 26, 17. 34. ὁποῖός τις 14, 17. 23, 9. 31, 20. cfr. οἷός τις 18, 1. 21, 1. Pronominis indefiniti formae breviores (του, τῳ) ut § 13 ita 15, 9. Er. 232 B inveniuntur (interrogativi 12, 27. 29. 13, 20), pronominis ὅστις et § 36 et 7, 17. 29, 4. 32, 18. — αὐτός iuxta reflexivum positum est § 17 αὐτὸς αὑτῷ sicut 8, 19. 22, 10. Nominibus terrarum et gentium articulus non antecedit Σικελία 4. 24. 27. Βοιωτοί 4. Καταναῖοι 25. cfr. Ἑλλήσποντος 29, sicut Lysias articulum voce Ἕλληνες excepta semper omittit (Pertz. Quaest. Lys. Progr. Clausthal 1857 p. 6 sqq.).

Transeo ad particulas et coniunctiones. Taceo de iis, quae apud Nostrum occurrunt eaedemque apud Lysiam usitatissimae sunt, de καὶ — καὶ (2. 35), οὐκ — ἀλλὰ (1. 5 bis. 13. 14. 15. 16. 17. 20. 21. 23. 28. 31), καίτοι (11. 12), ἀλλὰ γὰρ (11), ἀλλὰ μὴν (11. 28), τοίνυν (17), εἴπερ (16). Sunt alia, quae digna existimo, quorum mentio fiat. καίτοι — γε §§ 11. 34. 17, 4. 31, 26. 34 (καίτοιγε 1, 42. 8, 11. 26, 16. 31, 10). εἰ καὶ § 23. 31, 20 (καὶ εἰ 13, 82. 14, 1. 19, 59). εἴτε — εἴτε § 34. 12, 59. 13, 83. Negat porro Thalheimius (p. 39) coniunctionem ὥστε cum infinitivo coniunctam et conclusionem ratiocinationis significantem apud Lysiam usquam inveniri sicut § 12 (cfr. § 5), ubi inde, quod Pol. agriculturae studuit, Phrynichus in urbe delator erat, mores eorum diversos fuisse colligitur. Ego frustra indagare studui, quid discriminis intercederet inter illum locum et hos 12, 31. 26, 4. 12, quibus ὥστε item conclusionem facit. Neque in temporali coniunctione ἐπεὶ §§ 12. 24 pro ἐπειδὴ adhibita offensio inest, cum eadem apud Lysiam si minus saepe, at inveniatur certe, neque in interrogativa πότερα (Thalh. p. 39). cfr. Ant. 1, 17. 4 β 2. 5, 36. 63. — Pauca deinde de antithetis (μὲν — δὲ) afferam. Particulae μὲν non respondet δὲ §§ 16. 24 (ἐμὲ μὲν etc. ubi orator se fratribus animo opponit). cfr. 1, 35. 47. 3, 14. 4, 7. 7, 5. 9, 15. 13, 72. 81 etc. πρῶτον μὲν absolute, ut dicunt, positum est § 6; sed etiam Lys.

accuratam particularum responsionem saepius neglexit 1, 9. 28. 7, 15. 8, 3. 10. 9, 3. 16, 10. 18, 1. 19, 12 al. nec tamen plane eam aspernatus est cfr. *πρῶτον μὲν — εἶτα* vel *ἔπειτα* 1, 20. 40. 8, 8. 12, 48. 95. 13, 4. 27. 30. 50. 86. 97. 14, 21. 23, 4. 5. 26, 23. 30, 4. — Epanalepsis particulae *μὲν* § 19 exstat, eadem 8, 5. 13, 54. 14, 11. 24, 8. 32, 22. — § 17 *τότε μὲν — νῦν δὲ* 8, 16. 18, 14. § 33 *ἕως μὲν — ἐπειδὴ δὲ* 12, 66. 17, 5. — § 35 *ἀντὶ μὲν — ἀντὶ δὲ* 8, 18. 13, 14. 25, 30. 30, 2. 27. cfr. *περὶ μὲν — περὶ δὲ* 19, 55. 26, 16. 33, 6. *ἐν μὲν — ἐν δὲ* 16, 9. 18, 8. 27, 16. *διὰ μὲν — διὰ δὲ* 26, 18. 30, 27. *ἐπὶ μὲν — ἐπὶ δὲ* 12, 24. 47. 14, 42. 22, 16. *πρὸς μὲν — πρὸς δὲ* 26, 4. Moneo etiam, Lysiam ubi antithetorum membrum primum substantivum cum praepositione et articulo coniunctum est, semper *μὲν* inter praepositionem et articulum ponere (velut 12, 38 *πρὸς μὲν τὰ κατηγορημένα.* 1, 3 *περὶ μὲν τοῦ μεγέθους*) uno loco excepto 16, 8 (*μετὰ τῶν πρώτων μὲν .... μετὰ τῶν τελευταίων δέ*); quare noli haerere in verbis orationis nostrae § 36 *ὑπὸ τῶν πολεμίων μέν.* (cfr. 16, 10 *πρὸς τὸν ἀδελφὸν δ'.* 7, 4 *δημευθέντων τῶν ὄντων δέ.* Er. 232 D *ὑπὸ τῶν συνόντων δέ.*)

Interrogationi saepe opponitur particula *ἀλλὰ* et a Nostro §§ 3. 16. 30 et a Lysia 10, 23. 12, 83. 24, 24. 30, 26. 31, 24 al. — § 15 *πῶς οὖν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν* cfr. *πῶς οὖν οὐκ ἂν* 24, 23. *πῶς οὖν οὐκ* 13, 69. *πῶς ἂν οὖν* 19, 33 atque omnino per *πῶς* crebro interrogationes fiunt, velut 1, 27. 3, 25. 4, 7. 7, 16. 17. 18. 28. 8, 6. 8. 12, 28. 49. 84. 13, 22. 26. 77. 91, sicut 20, 30. 35. Nonnumquam autem particula interrogandi deest §§ 10 bis. 16. 19. 3, 30. 8, 13. 12, 26. 40. 14, 6. 19, 34. 38. 25, 9. 29, 3.

Duplicem negationem, quae sententiam enuntiati fortius affirmat, habemus ut § 5 *οὐδεὶς οἷός τέ ἐστιν ἀποδεῖξαι, ὡς οὐ καλῶς ἦρξεν* ita 1, 1. 4, 11. 16, 17. 19, 41. 30, 20 (!). — § 1 *μήτε τὴν πόλιν μηδὲν κακὸν ἐργάσαιντο μήθ' ὑμῶν μηδένα* cfr. 3, 14 (*οὔτε τούτων οὔτε ὑμῶν οὐδείς*). 25. 33. 12, 72. 16, 19. 19, 8.

Castigant docti anacoluthon, quod est in § 33 *πρόθυμοί ἐσμεν εἰς ὑμᾶς, εἰδότες ὅτι ... οὐκ ἔστι ..., αὐτοὶ δὲ ἀξιοῦ-*

μεν. Simillimum exstat 12, 15 ἐνθυμουμένῳ, ὅτι ἐὰν μὲν λάθω, σωθήσομαι, ἐὰν δὲ ληφθῶ, ἡγούμην μὲν etc. Etiam alia in promptu sunt 12, 36. 38. 13, 63. 22, 19. Neque pleonasmum § 31 χρημάτων ἕνεκα ἵνα λάβοιμεν tulerunt, etsi ne verba ἵνα πλούσιος ἐκ πένητος quidem (post χρημάτων ἕνεκα) 1, 4, si abessent, quisquam desideraret (Thalh. p. 34). Ceterum apud Platonem saepius tale quid occurrit, velut Phaedr. 246 D τὴν δ' αἰτίαν τῆς τῶν πτερῶν ἀποβολῆς, δι' ἣν ψυχῆς ἀπορρεῖ. 276 D εἰς τὸ λήθης γῆρας, ἐὰν ἵκηται. Polit. 449 D παιδοποίας πέρι, πῶς παιδοποιήσονται. ibid. 583 C τοὺς τῶν καμνόντων λόγους, οὓς λέγουσιν, ὅταν κάμνωσιν. ibid. 600 B ἐπ' αὐτοῦ ἐκείνου, ὅτε ἔζη: ut non sit, cur Noster reprehendatur.

Denique pauca de verborum collocatione dicam. Lysias saepius verba iuxta ea ponit, quae illis contraria sunt ἐπιτίμους ὄντας ἀτίμους 12, 21. ἀτίμους ἐπιτίμους 25, 27. τῶν οἰκείων τῶν ἀλλοτρίων 25, 1. ἐκ πολλῶν ὀλίγα 19, 61. 28, 2. ἐκ πενήτων πλούσιοι 25, 26. 30. 27, 9. ἀντὶ πλουσίων πτωχούς 32, 17. πενεστάτους ἀντὶ πλουσίων 32, 22. ἀντὶ ὁμονοίας ὑποψίαν, ἀντὶ εἰρήνης πόλεμον 25, 30. ἀντὶ δούλου πολίτης, ἀντὶ πτωχοῦ πλούσιος 30, 27. Idem studium videmus § 10 πονηροὶ ὄντες χρηστοί. § 32 τῶν κακῶς ὑμᾶς ποιούντων οἱ εὖ ποιοῦντες. § 35 ἀντὶ ἐπιτίμων ἀτίμους, ἀντὶ πολιτῶν ἀπόλιδας. — § 30 ἕνεκα non genetivum, qui ab eo pendet, ipsum sequitur (τούτων δεῖ ἡμᾶς ἕνεκα). cfr. 14, 32 ἄλλων τε πολλῶν ἄξιον ἕνεκα. 12, 98 μικρῶν ἂν ἕν. συμβολαίων. Cum verborum autem collocatione § 36 πρὸς τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ἑκάστῳ conferre liceat 12, 77 τοῖς εἰρημένοις τρόποις ὑπ' ἐμοῦ. Alia eiusmodi invenies 7, 41. 25, 9. 11. 34, 11.

His collatis in oratione vigesima permulta dicta esse, quae apud Lysiam partim rarius partim saepius occurrunt, in aprico est. At enim, adversetur mihi quispiam, tu ipse epitomatorem orationem corrupisse statuisti; unde omnia quae cum Lysiae elocutione comparasti, ab hoc ac non ab epitomatore profecta esse scis? Libenter condono hoc illudve eorum verborum, quae attuli, hunc induxisse; tamen relinquantur pleraque, quae illi tribuenda sint. Tam multa autem,

quae cum Lysiae genere dicendi congruerent, nonne permirum esset, si alius quis orator scripsisset? An vero aut casu aut industria excerptorem effecisse putemus, ut oratoris elocutionem Lysiae accommodaret?

Sed insunt in oratione, quae cum Lysiae elocutione plane pugnare docti arbitrentur. Invehuntur in Nostrum, quod sexcenties iisdem verbis vel parvo spatio interiecto usus sit. Verum id est et colligam ipse quae animadverti eiusmodi. § 2 *περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον. τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ. ᾑρέθη ὑπὸ τῶν φυλετῶν* — *αἱρεθεὶς ὑπὸ τῶν φ. κατηγοροῦσιν αὐτοῦ* 2. 5. *διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα* 4 bis. *ἑτέρας πολιτείας ἐπιθυμεῖν* 4 bis. *προδιδόναι* 5. 6. *καταπροδιδόναι* 5. 6. *ἀδικεῖν* 6 bis. 7 bis. 15 ter. 21 bis. — 5 *ἀρχὰς ἦρξεν. ἦρξεν. ἄρξας. ἦρξε. ἄρχοντες.* 6 *ἄρξας. ἦρχεν.* — *καταγνόντες σφῶν αὐτῶν ἀδικεῖν* 6. 21. *οὐδεμίαν εἶπε γνώμην* 7 cfr. 10. *τἀναντία λεγόντων* 8. *εἰπόντων* 14. *μάλιστα δηλοῦσι* 12. cfr. *ἐν πολλοῖς δηλοῖ* 16. — 11 *κατηγορίας. κατηγόρησαν. κατηγόρουν.* — *τὴν ψυχὴν πονηρὸς* 14. *τ. ψ. οἷος* 14 cfr. 16. — *τοσαῦτα χρήματα ὦφλε* 14. 18. 16 *πεισθέντας. ἐπείσθητε. πεισθῆναι.* — *οὐ πλέον ὀκτὼ ἡμερῶν ἐλθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον* 14 cfr. 16. — *εἴποι ἄν τις* 17 bis. *οὐδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν* 19. 22. *ἐγὼ ὑμῖν ἀποδείξω* 22. 26. 28. *ἀπολείπεσθαι* 23. 25. *ὥστε εἰδέναι* 24. 25 cfr. *ὥστε νομίζειν* 29. *οἷός εἰμι* 26. 28. *πρόθυμος εἰς ὑμᾶς* 31. 33. 34. 35. *ἡμῶν πεπείρασθε* 31. *ὧν π.* 34. *χάριν ἀπολαμβάνειν* 30. 31. Quae repetitiones quam molestae sint, sentit unusquisque. Sed primum meminerimus, epitomatorem multa mutasse. Uno loco (§ 9) tales molestias inde ortas esse, quod nonnulla eiecit, admodum verisimile est (p. 36). Nonne idem aliis locis factum esse potest? Nonne etiam homo linguae Graecae haud ita peritus, ubi aliquid mutare voluit, pigritia tamen ductus iisdem verbis usus esse potest, quae modo ex oratione transtulerat? Deinde si quis omnes, quae in oratione inveniuntur, repetitiones epitomatori tribui posse negat, is rationem habeat iudicii, quod Plato in Phaedro de Lysia profert 235 A: *καὶ οὖν μοι ἔδοξεν . . . . δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι, ὡς οὐ πάνυ εὐπορῶν τοῦ πολλὰ λέγειν περὶ τοῦ αὐτοῦ ἢ ἴσως οὐδὲν αὐτῷ μέλον τοῦ τοιούτου.* Atque sunt huius modi

in erotico haec: *εὖ ποιεῖν* 231 A ter. *οἱ προσαιτοῦντες* 233 E bis. *πλείστην (οὐκ ἐλαχίστην) χάριν εἴσονται* 233 D. E. *ἀποτρέπειν* 231 D. 232 C. 233 C. *ὥστε πολὺ πλείων ἐλπὶς* 231 E. 232 E cfr. *ὥστε πολὺ μᾶλλον* 233 B. *τοὺς μὲν ἐρῶντας . . . . τοὺς δὲ μὴ ἐρῶντας* 231 A. 232 A bis. 234 B. *ἐπειδὰν τῆς ἐπιθυμίας παύσωνται* 231 A. 232 E. *παρέστηκεν* 232 B. 233 C. *ἐπιδείκνυσθαι* 232 A. 233 B. *κρατεῖν αὐτοῦ* 231 D. 233 C cfr. *κρείττους αὐτῶν ὄντες* 232 A. Haec verborum neglegentia vel inopia convenit cum oratione vigesima, praesertim cum eroticum a Lysia ante XXX virorum dominatum scriptum esse veri sit simillimum. Ac ne in omnibus quidem orationibus postea compositis Lysias plane eam fugit. cfr. *διακεῖσθαι* c. adverb. 1, 3. 6. 10. 39. *εἰς τὴν γνώμην εἰσῄει καὶ μεστὸς ἦν ὑποψίας* 1, 17 bis. *οὐκ ἂν δοκῶ* 1, 41. 42 cfr. 40. *ἄγειν βίᾳ* 3, 37 bis. 38. *κακῶς λέγειν καὶ ποιεῖν* 8, 19. 20. vid. Kirchner l. l. p. 12 sq. Inprimis duodevigesima his abundat *ἀποστερεῖσθαι τῶν ὄντων* 8. 12. 22. *τραπέσθαι ἐπὶ* 18. 19. *ἀπαιτοῦμεν ὑμᾶς ταύτην τὴν χάριν* 23. 27. *ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον* 23. 27 itemque vigesima septima, in qua respicias verba *καταψηφίζεσθαι, χάριν, δίκην, χρήματα* persaepe adhibita, praeterea formulas *ἐν τῷ τιμήματι* 16 bis. *λαμβάνειν παρά τινος* 2. 5. 6. 14. 15. 16. *ἐκ τῶν ὑμετέρων* 7. 9. *τιμᾶν θανάτου* 7. *τῶν ἐσχάτων τ.* 8. 16.

Neque propterea quod orator nonnumquam nimis multis verbis de eadem re utitur, oratio a Lysia abiudicanda est. Velut melius sane amputasset verba § 21 *καὶ εἴ τινες ἄλλοι ἀδικοῦσιν, ἧττον μὲν ἐκείνων, ἀδικοῦσι δέ*, e quibus *ἧττον μὲν* etc. nullam fere vim habet. § 22 idem bis dicitur *οὐδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν* et *πιστεύων αὐτῷ μηδὲν ἡμαρτῆσθαι.* § 33 *ὥστε αὐτῶν τούτων ἕνεκα προθυμοί ἐσμεν εἰς ὑμᾶς — αὐτοὶ δὲ πρόθυμοι ὄντες εἰς ὑμᾶς ἀξιοῦμεν.* §§ 35. 36 *ὑμῶν δεόμεθα ἐᾶσαι ἡμᾶς. δεόμεθα οὖν ὑμῶν.* Haec verborum amplitudo, epitomatori sane, qui orationem mutilavit, non amplificavit, tribuere vix licet. Sed quis est, qui Lysiam brevitati in erotico studuisse contendat, si quidem verba 234 A *οὐδὲ ὅσοι τῆς σῆς ὥρας ἀπολαύσονται, ἀλλ' οἵτινες πρεσβυτέρῳ γενομένῳ τῶν σφετέρων ἀγαθῶν μεταδώσουσιν* conferat cum iis, quae

statim sequuntur ἀλλ' οἱ παυσαμένοις τῆς ὥρας τότε τὴν αὑτῶν ἀρετὴν ἐπιδείξονται? Praeterea ne in aliis quidem orationibus semper brevitas illa quae praedicatur Lysiaca apparet cfr. Francken. p. 23. 24. Blass. p. 403.

Etiam quod coniunctionem καὶ plus iusto sibi condonavit, oratori opprobrio versum est. Cum vero hoc vitio prima orationis pars abundet, paene omnino libera sit altera, illam repetitionem maiore ex parte ab excerptore profectam esse putabimus (cfr. p. 24). Nec eadem coniunctio repetita in undecima non occurrit, etsi multo rarius (p. 11). Sed plane idem vitium deprehendimus in octava. καὶ ταῦτα 3. 5. 6. 8. 9. 12. 14; 4 καίτοι. καί. καὶ γὰρ bis; καὶ 5 ter. 7. 8. 9. 11 (καίτοι γε. καὶ). 12 bis. 14 bis. 15 bis etc. γὰρ 4 (καὶ γὰρ bis). 5. 6. 7. 8 bis. 9 ter etc. πρῶτον μὲν 3. 8. 10. Porro monendum est, similem esse condicionem erotici καὶ . . . (καὶ . . . καὶ et . . . et) . . . καὶ . . . καίτοι . . . καὶ γὰρ . . . καὶ 231 C. D. καὶ sexies 233 E. καὶ μὲν δὴ 231 D. 232 B. E. 233 A. D. οὐδὲ . . . ἀλλὰ 233 E. 234 A. ἔτι δὲ 231 A. C. 232 A. 233 D.

Sed continet oratio, quae apud Lysiam frustra quaeras. Colligam, quae ipse inveni, et ut omnia sub uno conspectu sint posita, addere mihi liceat, quae iam Thalheimius (p. 39) observavit. Non exstant apud Lysiam verba § 6 καταπροδιδόναι. § 7 ἐκκλέπτειν (διακλέπτειν 26, 3). § 9 ἐξαγγέλλειν (Plat. Phaedr. 236 E. 279 B). § 16 νεωτερίζειν (Ant. 2 δ 9). § 17 οὐδαμῇ et ἡνίκα (praeter 8, 14). § 23 ὅσοι exclamans: πάντες. παρασκευάζειν τινα (τι 13, 12. 58. 16, 13. 24, 1). § 24 ἀνασώζεσθαι. § 26 ὁρκοῦν. § 27 ἐπιστέλλω. § 35 ἄπολις (Ant. 2 β 9). § 36 διακωλύειν (δ. μὴ c. inf. Ant. 5, 82 cfr. ἀμφισβητεῖν μὴ εἶναι Lys. 23, 13). Neque usquam invenitur ἦ — γε § 19, sed aut ἦ που 8, 11. 12, 35. 25, 17. 27, 15. 30, 17 aut ἦ που γε 7, 18. 13, 57. 69 neque καὶ ἔτι § 27 (Ant. 6, 31. And. 2, 17). Neque oppositionem huius modi περὶ ἡμῶν . . . καὶ οὐ περὶ χρημάτων § 32 videas, sed semper ἀλλ' οὐ Lysias dicit praeter 9, 13 et 27, 16 quibus locis nulla coniunctio adhibetur (velut περὶ τοῦ ἐγκλήματος, οὐ περὶ τοῦ τρόπου); contra καὶ οὐ Ant. 2β10. 3γ1. 4β4. 6. 8. γ3. δ4. 8.

Ubi testibus allatis statim iudices audivisse testes commemorat, semper hic est verborum ordo τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε, numquam hic ἀκηκόατε μὲν τῶν μ. sicut § 26. Noster dicit τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι, cum L. πάντες omittat 19, 31. 23, 6. 8. 24, 19. — Desunt porro praeter ea, quae novitiam arguunt aetatem (p. 40) hae formulae: § 3 διαπράττεσθαι παρά τινι (παρά τινος 13, 53. δ. τι 1, 38. 43. 7, 12. 8, 15. 9, 7. 13, 7. 93. 26, 7. 30, 13. Fr. 53, 2. περί τινος 3, 22. c. acc. c. inf. 13, 72. δ. ὥστε 16, 15. 26, 17. absolute positum 1, 33. Er. 234 A). § 6 καταγνόντες σφῶν αὐτῶν ἀδικεῖν. § 11 ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ. § 12 ὁμολογεῖν congruere. § 17 ἀλλ' εἴποι ἄν τις. § 22 πιστεύω cum infinitivo perfecti (c. fut. 13, 26. 88. c. praes. 19, 54). § 26 καλῶ μάρτυρας. § 27 σκέψασθε δή; σκ. δὲ 1, 37. 39. 43. 3, 24. 14, 6. 15, 5. Fr. 8 (σκεψώμεθα δὴ And. 3, 27). § 29 καί μοι ἀνάβητε δεῦρο (καί μοι ἀνάβητε τούτων μάρτυρες 1, 29. 42. 16, 17. 32, 27 cfr. 18. Fr. 1, 5. καί μ. ἀν. μ. 13, 64. 16, 14. καὶ ὑμεῖς ἀνάβητε 12, 47. καί μοι δεῦρο ἴτε μ. 7, 10), § 30 χάριν ἀπολαμβάνειν. διαβάλλεσθαι εἴς τινα. § 31 κατ' ἀξίαν. § 32 ὑμῖν ψηφός ἐστι περί τινος. λέγεται c. acc. c. inf. § 35 ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας (τινα 7, 18. 9, 12 (?). 10, 10. 13, 74. 32, 24. ἀζημίους ἀφ. 22, 17. 19. 27, 16) cfr. ἀφ. τὴν δίκην Isocr. 18, 39. τὴν τιμωρίαν Ant. 1, 5.

Quid de his statuendum est? Primum nisi verba, quae vocantur ἅπαξ εἰρημένα, serioris tantum aetatis dictioni respondent, admodum cavendum est, ne iniuria in iis offendamus; nam possunt eadem in scriptis eiusdem auctoris, quae casu aetatem non tulerunt, exstitisse. Neque si quis Lysiae consuetudinis dicendi rationem habuerit, negabit multa ab eo uno loco dicta inveniri. Sed ne licet quidem affirmare, omnia illa semel dicta oratorem scripsisse. Corrupit epitomator multa, potest induxisse etiam nonnulla eorum, quae apud Lysiam non exstant. Velut quam facile fieri potuit, ut § 19 που omitteret, ut § 32 καὶ pro ἀλλὰ scriberet, ut § 26 (ἀκηκόατε μὲν etc.) verborum ordinem mutaret. Quibus de causis ea, quae apud Lysiam nullo alio loco nisi in hac oratione inveniuntur, nil probant, praesertim cum horum pau-

citas cum multitudine eorum, quae illum videntur prodere, compensari non possit.

Miretur forsitan aliquis, me usque huc non disseruisse de iis, qui Lysiam orationibus in aliorum causa scribendis operam dedisse ante XXX viros plane negant. Si modo ego quibus argumentis nituntur, tantam vim tribuere possem! Summam Fraenkelius, qui illius sententiae defensor exstitit acerrimus (l. l. p. 21 sqq.), rationem habuit Phaedri Platonis dialogi, in quo multa de Lysia disputantur, et quia in hoc dialogo praeter demonstrativas orationes iudiciales composuisse non indicaretur, eo tempore, quo colloquium habitum fingeretur, illum foro nondum se dedisse collegit. Atque hoc quidem disputatione diligentissima ad liquidum perduxit, Platonem de Lysia nonnisi ut de rhetore arti dedito dicere, nullo loco de oratore forensi cogitasse putandum esse, sed id quod inde conclusit, non recte posuit. Etenim sumpsit, dialogum circiter annum 407 (Ol. 93, 2) a philosopho habitum fingi nullo iure, certe non rectius quam si quis anno Ol. 92, 1 vel 92, 2 eum tribuat. Voluit sane Plato colloquium ante XXX viros habitum (Stallbaum ad Phaedr. 279 A), sed quo anno — nemo praestare potest. Quo igitur iure orationem anni Ol. 92, 2 (fortasse Ol. 92, 3) a Lysia abiudicat Fraenkelius, cum tempus dialogi fictum tempori orationis habitae non antecedere argumentis probare non possit? Nam etsi Lysias Ol. 92, 1 demum in patriam rediit, potuit tamen, praesertim cum antea eum Thuriis arti rhetoricae studuisse notum esset, iam haud ita multo post tam illustris esse quam Plato eum fuisse fingit. Deinde fac colloquium anno 407 habitum fingi, num inde quod Lysiae ut rhetoris imago depingitur, necessario sequitur, ut illo tempore orationes iudiciales omnino non composuerit? Quid? si etiam tum *πρὸς ἐπίδειξιν* plerasque, *πρὸς ἐργολαβίαν* perpaucas scripsit, eratne necesse, ut Plato etiam harum faceret mentionem? Quid? si tantummodo, ut fors ferebat, Lysias his operam dabat? Haec cum considero mihi quidem e Phaedro certi quidquam de quaestione, scripseritne iam ante populi eversionem et restitutio-

nem orationes in aliorum causa orator, numquam videtur erui posse.

Neque reliqua argumenta, quae Fraenkelius in medium profert, tanti sunt momenti, ut idem quod ille negavit, nobis prorsus negandum sit. Neque enim verba Lysiae ipsius or. 12, 3 (ἐγὼ μὲν οὖν . . . . οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας etc.) eam habent perspicuitatem, ut iis diiudicari possit, utrum Lysiam se antea numquam in iudicio causam dixisse an omnino nullas orationes iudiciales composuisse affirmaverit. Etenim cur ex enuntiato ὅμως δὲ — διδάξαι, quod oppositum est toti enuntiato ἐγὼ μὲν οὖν — ποιήσωμαι, colligendum sit, verbis ὥστε πολλάκις εἰς ἀθυμίαν κατέστην sqq. difficultates significatas esse, quas ipsa oratio componenda praeberet, me non intellegere fateor. Profecto orator dicere potest haec: „ego qui neque in meis ipsius neque in aliorum causis in forum prodii, nunc coactus sum ut prodirem: ut saepe vererer, ut graviter in iudicio accusarem. Quae quamquam ita se habent, tamen conabor res enarrare.“ Neque ita mirum est, quod Lysias, quia ab usu forensi adhuc alienus sit, in gravissima lite propter fratrem suscepta se in magna cura esse dicit. Nam aliud est orationem in umbraculis elaborare, aliud elaboratam in foro habere et multae res saepe hic efficiunt, ut quae diligenter excogitata sunt, non apte proferantur. Atque se iudicum animos sibi conciliaturum esse, orator potuit sperare, cum forum se nunc demum attingere ideoque in magno metu versari commemoraret.

Quod argumentum porro inde petitur (Fraenkel p. 38), quod Lysias ante XXX viros in optima fuit condicione, ut non esset, cur iam tum „negotio parum honesto orationum aliis vendendarum se daret“, hoc non multum valet. Antiphontis memineris modo, hominis loco haud ignobili nati et imperium paucorum petentis, qui arti rhetoricae studebat neque idem orationes in aliorum causa scribere verebatur. Locus autem ille Ciceronianus (Brut. c. 12. cfr. Fraenk. p. 22), quo Lysiam a Theodoro subtilitate in arte superatum ad logographiam se convertisse traditum est, magis mecum facit quam cum Fraenkelio. Cicerone enim vel Aristotele auctore

videtur Lysias orationes scribere coepisse non morte demum fratris commotus.

Ad finem disputationis nostrae pervenimus. Studuimus demonstrare, quae pristina fuisset orationis vigesimae forma, patefecimus, nec dispositionem nec inventionem a Lysia absonam esse, elocutionis multa cum eius genere dicendi plane congruere. Cum autem non sit, cur Lysiam ante XXX viros orationes iudiciales composuisse negemus, etsi vigesimam orationem ei vindicandam esse necessario contendere non licet, tamen eam Lysiacam esse posse confidenter affirmo. Quod si probavi, quaestionem difficillimam eo perduxi, quo omnino potest perduci.

Vita.

Aemilius Albrecht natus sum Wrescheni die XVII m. Mai. a. h. s. LVI patre Roberto, quem ante hos duodecim annos morte mihi ereptum esse doleo, matre Arminia e gente Tisleriana. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis instructus gymnasium frequentavi Meseritiense, cuius praeceptores, inprimis Poltium, nunc consultorem scholarum, Margium rectorem, Richterum, semper pia grataque memoria venerabor, per novem annos. Maturitatis testimonio impetrato Berolinum me contuli a. h. s. LXXIV, ut civitatem academicam universitatis Fridericae Guilelmae adipiscerer. Ibi per octies sex menses horum virorum doctissimorum audivi scholas: Curtii Dillmanni Droyseni Harmsii Huebneri Kieperti Kirchhoffii Mommseni Muellenhoffii Nitzschii Roberti Semischii Schmidtii Steinthalii de Treitschkii Vahleni Wilamowitzii Wattenbachii Zelleri. Seminarii philologici regii per quater sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea Kirchhoffius ad exercitationes Graecas, Muellenhoffius ad Theodiscas aditum mihi benigne permiserunt. Quibus viris omnibus, maxime autem Ad. Kirchhoffio et Io. Vahleno seminarii philologici rectoribus, debitas hic ago gratias.

Sententiae controversae.

1. Ex antiqua collectione, quae omnes Lysiae orationes continebat, ea quam traditam habemus sylloge eo prodiit, quod certa orationum genera ex illa huc translata sunt: or. 1; 3. 4; 5—7; 8—11; 12. 13; 14—16; 17—21; 22. 23; 24—31. Epitaphius autem postea non suo loco insertus est.
2. Munus, quo Epicrates in Lysiae oratione XXVII functus esse commemoratur, syndici fuit.
3. Oratio, quae inter Lysiacas fertur, trigesima ab epitomatore corrupta est.
4. Demosth. or. 41, 8 λέγε delendum est.
5. Eurip. Iph. Taur. 796 (ὅμως) σε πιστῷ (περιβαλὼν βραχίονι). codd.: σ' ἀπίστῳ.
6. Thuc. 3, 40 (οὔτε λόγῳ) πιστὴν in κτητὴν corrigendum esse puto.
7. Plin. Paneg. c. 8. itaque qui adoptabat tam paruit etc. ut qui adoptaret R. utque qui adoptaret Acd. uterque qui adoptaret B.
8. Plin. Paneg. c. 46. et[si] liberum est queri. codd. et. cfr. et tamen Epist. 1, 22, 3. 2, 14, 6. 3, 9, 27. 4, 7, 4. 8, 21, 6.

Ienae, typis Ed. Frommanni.